







1/1  
1-11  
2.1  
3.1  
4a  
5  
6  
7a  
7b



1731.

1. Alberti, Michael: De erysipelate ex purpura rubra male tractata.
2. Alberti, Michael: De sanatione duntum difficili.
3. Boetnerus, Fridericus Henricus: De episcopo vice-cancellario imperii
- 4<sup>as</sup> Carachi, Joannes Tobias: De substitutionis directae argumentis in formula Sabia. Hent. 1731-1745.
5. Carachi, Joannes Tobias: De ejuranda ejectione bonae spei
6. Gasserus, Simon Petrus: De apprehensione possessionis
- 7<sup>as</sup> Gasserus, Simon Petrus: . . . Examinatus Brocardi. cum vulgare: statuta ex jure communi esse interpretanda.
- 7<sup>b</sup> Gasserus, Simon Petrus: . . . Examinatus Brocardicum vulgare: statuta ex jure communi esse interpretanda ✓

8. Gassius, Simon Petrus: Dissertatio in eus. catholico fidei  
 commissorum et codicillarum originem
9. Hager, Gottlieb Fodor: De usuationis in revelatione  
 interpretanda.
10. Hoffmannus, Fredericus: De differenti medicamentorum  
 operatione secundam diversam corporis humani itro. 16.
11. Hoffmannus, Fredericus: De medicina simplicissima summe efficacis  
 Syn crasiem.
12. Hoffmannus, Fredericus: De acidulis veteraqueus bus.  
 in Silesia. 17.
13. Hoffmannus, Fredericus: Vital animalis considerato.  
 nem theoreticam-practicam . . . placidae . . . erudi-  
 torum proportioni exhibet 19.
14. Hohenel, Paul Friedrich: Gedächtnis von der Purganz-  
 Mathesi . . . vomit et Senes Sommer - Lektionen bekannt  
 machen sollen. 20.

- 15<sup>a</sup> Hakeisel, Daniel Frid: De principiis juris naturalis
- 15<sup>b</sup> Hakeisel, Daniel Frid: Disquisitiones III I. De principiis  
 juris naturalis. II. De primis Federationis Lineis. III. De  
 methodo Secundi Antiquitates juris Romani . . . olim  
 defensor, nunc vero . . . recusa. de Bibl. beccis vult.]
16. Hakeisel, Daniel Frid: De correis eorumque mutua  
 actione [ratio regressu]
17. Hakeisel, Daniel Frid: Primas de interpretatione linearum  
 . . . publico . . . examini subiect. . . 28 repl.
19. Luberig, Joh. Petr. de: De processu per mandatum.
20. Mylius, Joannes Maurium: Quae Furliniana sup.  
 in presentibus Institutionum supposita personae  
 creduntur
21. Neuberger, Benedictus Fridericus: De jure disputationum  
 apud omnes omnium religionum populos, exceptis non  
 hanc dicit

22. Philippi, Joannes Inestas:  $\pi\pi\epsilon\tau\tau\omega\nu$   $\psi\epsilon\upsilon\beta\omicron\varsigma$  circa  
principium juris naturalae; seu primum falsum  
suppositum, communiter hactenus acceptum, quod  
totum jus naturalae ex unica quadam proportione  
generali, omnes reliquas leges naturales sub se  
comprehendat, sit de ducendum.
23. Witelburg, Fridericus: De eo, quod nimium est  
in jurisprudentia Romana.
24. Witelbūrgius, Fridericus: De reliquiis meliores  
humanitatis in barbara aetate.



LXXIII.

IOANNIS TOBIAE CARRACH, ICTI  
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS  
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS  
PROFESSORIS IVRIS PRIMARII  
FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDIS  
ORDINARII ETC.

24

DISSERTATIO

1731 7c

QVA  
EXAMINATVR  
BROCARDICVM VVLGARE:

11

STATVTA  
EX  
IVRE COMMVNI  
ESSE  
INTERPRETANDA.



---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITTERIS FRIDERICI AVGVSTI GRVNERTI  
RECVSA ANNO MDCCCLXVIII.



1111

IOHANNES TOBIAE CARRACH, 1811  
DIREKTOR

Dissertatio hæc anno c1o18ccxxxi. D. xxiv.  
Octobr. sub præsidio B. DNI GASSERI a B. DNO ALBER-  
TO SCHOENE, Bremensi, pro honoribus Doctoris impe-  
trandis habita: nec tamen Præsidis nec Candidati respon-  
dentis, sed mea elaboratio est. I. T. CARRACH.

WILHELMUS





Q. D. B. V.  
DISSERTATIONE INAUGVRALI IVRIDICA  
EXAMINATVR  
BROCARDICVM VVLGARE:  
**S T A T V T A**  
ESSE EX  
**I V R E C O M M V N I**  
INTERPRETANDA.



§. I.

Incidit nostra ætas in feliciora illa Iuris-  
prudentiæ Germanicæ eiusdemque  
vberrimorum fructuum fecundiora  
tempora, posteaquam Summi Numi-  
nis providentia iamiam per eximium temporis spa-  
rium cordatissimi extiterunt viri, qui non infelici  
successu omnem mouerunt lapidem, vt animos  
A 2 Germa-

*Prefamen  
commendat  
Iuris patrii  
studium.*

Germanorum cum a præiudiciis ipsorum Latii Iurium eorundem glossatorum erroribus liberarent, qui tam altas egerant radices, vt adhuc hodie plurimæ malæ herbæ exinde proueniant. Nihilominus hoc modo accidit, vt indefessis conaminibus & studiis virorum de patrio Iure optime meritorum densa caligo dispelleretur, qua ICti ad vnum omnes ita circumfusi erant, vt nimia opinione de Iuris Romani & dogmatum præceptorum suorum, eadem cecitate laborantium, autoritate ac præstantia imbutis patriæforderent leges, e contrario extera quæcunque, & glossatorum aliorumque peregrinorum ICtorum nenæ in maximis essent deliciis. Quo quidem sermone in Romanas leges neutiquam calumniosus existere volo; prorsus enim non est animus dignitatem iustam earum labefactare, gloriamue refringere meritam: sed tantum inquam, supersticiosum earum cultum, a ICtis in Germania ipsis priuato ausu exhibitum, immerito fulgorem Germanicarum legum heberasse. Et cum exterae gentes auide litium suarum discrimina secundum scita Germanici Iuris dirimi cupiderint, quod patet ex VENT. DE VALENT. *Parthen. litigios.* L. 2. c. 2. n. 19. & c. 14. num. 7. RVTGER. RVLAND, *de Commissar. part. 4. lib. 2. cap. 3.* KELLER. *Lib. 2. de Offic. Iurid. Polit. c. 27.* MEVIO *Iure Lubec. Prelimin. Quæst. 2. n. 18. sqq.* HERTII *diff. de Consult. Legib. & Iudic. §. 10.* STRYK. *diff. prælim. ad Vsum Moder. §. n. ibique cit.* GOLDASTO; nos e contrario propria spernentes peregrina appetebamus, falsa persuasione occæcati, ac si nihil æqui nihilque iusti esset, quod Latio non deberet originem. In eo itaque longe me-

ge meliore nos uti fortuna, existimo, quam quæ maioribus obtigit, dum nobis redierit æquum illud, quo pristina dignitas patriis legibus magna ex parte restituta & error iste communis explosus est, ac si leges Latii in Germania quoque vim ordinarii Iuris haberent, & ut vniuersalis regula valorem obtinerent præ patriis institutis, iisque tamdiu inhærendum, quam diu nulla expressa lege abrogatæ sint. Namque postquam CONRINGIVS, SCHILTERVS, KVLPIVS, COCCIVS, HERTIVS, MEVIUS, STRYKIVS, THOMASIVS, BEYERVS, & alii viri magnorum nominum, qui adhuc in alma hac FRIDERICIANA legitimæ scientiæ solida dogmata secundum normam Germanicorum institutorum tradunt, lucem patriæ Iurisprudentiæ afferre, summa ope nisi sunt, sane ex eo Germanicarum legum prudentia nouo splendore colustrata aliam longe vbique, tam in foris quam in academiis, induit faciem. Eorum itaque beneficio ea digni reddimur felicitate, ut Iurisprudentiæ operam dantibus, non amplius sarrago peregrinarum vsu fori destitutarum & cumulus inertium conclusionum ad nostra iudicia minime aprarum nubesque pro Iunone opponatur. Verum ea potius sedulo traduntur, quæ in ipsis rerum argumentis obtinent; & dogmatibus perspicuis simulque vtilibus, is datur patrio iuri, qui ei debetur, isque Romanis legibus, in nostra republica subsidiariis, iterum qui ipsis debetur honor, pro modo quem ipsa iuris analogia, cuiusque negotii & nostræ rei publicæ natura suadet. Quæ, quod rite ita fiant, non solum ipsius CICERONIS *L. I. de Legibus* locupletissimo testimonio optime persuadentur, sed etiam a CONRA-

DO SINCERO *Dissertat. Epistol. de German. LL. ac Rom. Iur. in republ. nostra origine &c.* §. 49. ibique citato BESOLDO assidue inculcantur. Quid ergo nostrarum, qui meliora edocti sumus, partium hac re rum facie erit? sane dedecori nobis cederet, si sanioribus principiis imbuti refrigesceremus in opere, languidiorique studio in emendanda Iuris nostri arte effemus. Sequamur potius eorum allacritatem & industriam, qui hac in re fideliter facem præculerunt, premamus eorum vestigia, & viæ, in qua constituti sumus, insistamus; ne nostra & eorum desidia, qui vel data etiam opera adhuc in sole cæcutiunt, crassiores tenebræ nostris mentibus iterum offundantur. Optimo iure enim excitamur tam a laudato CONRADO SINCERO *cit. diss. §. 24.* quam a STRYKIO *in Vsu Moder. Tit. de Jurisdic. §. I. p. 173.* imo & nuperrime per ea, quæ inter omnes maxime commode disseruit DN. DE LVDEWIG *in Iustiniani M. vita: introit. §. 7.* Quis ergo non videt, cuicumque solidæ Iurisprudentiæ nostræ, qua in Germania vtimur, cultori id apprimæ curæ esse debere, ut præiudiciorum reliquias, quæ elegantissimo atque vrilissimo studio adhuc obsunt, prorsus amoliat & genuina principia in lucem revocet. Deinde operam dare debet, ut principiis rite deductis, inepta erroneaque consecraria quæ ex antiquis fabulis opinionum explosarum restant, eliminaret. eaque, secundum legitima examinata, cum his in luculentam redigat consonantiam: præsertim cum familiaris nobis sit error, quod reiectis principiis, nihilominus ea, quæ ex istis deriuantur, cupide amplectamur.

## §. II.

Lubens itaque hac in re periculum faciam præfenti specimine inaugurali, cuius thema, a PATRONIS mihi præscriptam, conclusionem quandam communem sed erroneam & ex falsis principiis provenientem concernit ex patrio iure examinandam, quæ tamen simul principium aliquod plurimarum aliarum thesium constituit. Et quidni labor iste conduceret, cum palam sit, quod ante omnia de earum rerum veritate aperte constare debeat, quibus aliæ magni momenti doctrinæ nituntur. Huc itaque omnino ea maxime spectant, quæ ipsius Iurisprudentiæ requisita concernunt & Iurisconsulti officium instruunt; hæc enim si rite se non habeant, quomodo recti quid exinde in Iurisprudentia expectabimus. Complectitur autem Iurisprudentia artem interpretaudi leges, & ad facta eas applicandi; iisque Iurisconsulti officium absolvitur. Istam hac vice aliqua ex parte, nimirum quoad patriæ leges curo. Namque instituitur omnis legum, adeoque etiam Germanicarum, interpretatio vel secundum regulas communes, vel secundum Iurisprudentiæ proprias: hæc continent axiomata, quæ a iurium peritis pro parte ex logicis regulis, maximam partem vero ex principiis iuris eum in finem deducta, ut dubia circa interpretationem legis & mentem legislatoris inuestigandam occurrentia ex istis explicari possint. Quod si ergo hæc regulæ ex ineptis principiis depromptæ sint, aut analogiæ iuris aduersentur, non possunt non absurdissimæ evadere legum declarationes quæ iuxta talem normam componuntur. Inde est, quod

Scopus dissertationis ex eo deductus.

quod etiam in nostro iure explicando, adhuc hodie ab iis, qui eiusmodi erroribus sese manciparunt, sapissime non minus insipida protrudantur interpretationes, quam ista Neruæ olim derisi, quod, referente PAVLO in *L. 9. D. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrab.* monstrauiſſet; per fenestram seruos detentos ob pensionem liberari posse. Non enim Germanica Iurisprudencia vacua est ab huius generis inconcinnis ICtorum commentis, quæ falso obtentu pro amuſſi iustæ interpretationis venditantur. Huc etiam refero peruulgatum illud, quod plerorumque ICtorum scriptis celebratur, dogma: de statutorum interpretatione ex Iure Communi facienda; quæ regula sane ex Iuris Romani institutis & glossatorum ad illud doctrinis hausta, ex inepta quadam & peregrinorum præcipue Iurisperitorum opinione, apud nos oppido falsa, omniumque maxime incongrua, de nostris quoque statutis prædicari solet. Sic nimirum clamitant: esse communem opinionem, immo omnium communissimam, quod statuta stricte sint interpretanda, ita ne lædant Ius Commune MENOCHIVS *Cons. 5. n. 2. 3. seqq.* TIRAQVELL. ad *L. 8. C. de Reuoc. donat. & retract. proximit. §. 1. Gl. comm. n. 71.* GALVINVS *de Verb. signif. lib. 5. cap. 7. n. 8.* ALDERAN. MASCARDVS *Tract. de Interpret. statut. tot. conclus. 2. & n. HONDED. Consult. 32. n. 44.* Sic aiunt: statuta sunt sterilia tanquam mulæ, quæ non pariunt, & ideo sunt stricti iuris & stricte intelligenda BERTAZZOL. *Consil. crim. 175. n. 13. l. 1.* VIVIUS *Decis. Neapol. 506. n. 16.* MASCARDVS *cit. tract. concl. 4. n. 5.* sic volunt, statutum intelligendum esse, prout canter: OSASC. *Decis.*



*decif. 4. n. 10.* MASCARDVS *cit. loc. n. 6.* ita docent, statuta proprie & iuxta corticem immo Iudaice esse intelligenda, MEREND. *L. 2. controu. c. 10. & 13.* GRIVEL. *decif. 86. n. 25.* & pro vt iacent IASON. *in auth. nouissima C. de in off. testa:* Et quæ huius generis reliquæ sunt argutiæ. Ita quoque hæc axiomata ad nostra statuta applicant vno ore ICTi magnorum alias nominum GAILIVS *I. Obseru. 50. n. 8. & passim* MYNSING. *I. Obseru. 5.* BESOLD. *in Consult. P. II. Conf. 68. n. 31. 36. 33.* IDEM *P. IV. Conf. 149. §. 17. 23.* MYLER AB EHRENBACH, *de princip. & stat. Imp. R. Germ. P. II. c. 39. §. 12.* ARTHVRVS DVCK *de ant. iur. ciu. Rom. in dom. Princip. Christian. L. II. c. 2. §. 17.* CARPZOV. *P. III. decif. 295. n. 21.* immo & quodammodo idem asserit STRYKIVS *Diss. prælim. ad Vsum Mod. §. 33.* Attamen hi omnes fere non poterunt non intelligere, quod hæc effata solida ratione destituantur & iuris analogiæ palam repugnent; ideo innumeras exceptiones finxerunt, ab his axiomatibus declinantes, ita vt earum frequentia insulas has regulas prorsus absorbeat. Qua propter ab hac opinione abesse & in diuersam discedere sententiam cogor, nec possum cum ICTorum cohorte asseuerare, quod Germanorum Statutorum stricta interpretatio facienda sit; præcipue, cum principia, quibus hic error originem debet, a viris in patriæ institutis sagacissimis iam iam remota sint. Adeoque hoc specimine inaugurali, in regulæ huius veritatem inquirere, & hoc modo demonstrare conabor, statuta Germanica, non secundum hanc amussim diiudicanda, sed eorum interpretationem ordinario modo esse instituendam.

B

Neque

Neque a proposito dimoueor per communem ICto-  
rum contrariam sententiam eorumque autoritatem,  
cum certus sim: perniciosum esse in Iuris arte, inter-  
pretari leges ex aliorum opinione & autoritate, non  
ex ratione, turbamue sequi cæco impetu; & calcar  
mihi addit IPSE IMPERATOR in *L. 1. §. 6. C. de Ve-  
ter. Iur. Enucl.* ita constituens: sed neque ex multitu-  
dine autorum, quod melius & æquius est, iudicote;  
cum possit vnus forsitan & deterioris sententia & mul-  
tas & maiores in aliqua parte superare. Id tamen in-  
genue cofiteor, me non esse primum, qui falsita-  
tem huius dictionis aduertit; sed iam ante me laudatus  
DN. A LVDEWIG *Opusc. Miscell. Tom. II. lib. IV.  
opusc. I. §. 1. not. bb.* CONRADVS SINCERVS seu  
KVLPIVS *cit. diss. epist. §. 71.* nec non ex isto iterum  
GEORG. BEYERVS *Delin. Iur. ad ff. tit. de Orig. Iur.  
ad posit. 382. not. d.* THOMASIVS *diss. de stat. imper.  
poteft. legislat. contr. ius commun. §. 77. imo* & MEVI-  
VS *ad Ius Lubecens. passim* errorem hunc deprehende-  
runt. Cum tamen priores tantum breuissimis & sum-  
matim rem attingant prolixioremq; tractationem aliis  
reliquerint, MEVIUS autem nec ipse semper secum  
sentiat, sed dissonantium axiomatum cumulo sæpe in  
contraria abreptus sit, præterea vero adhuc hodie a  
recentioribus quibusdam incongrua hæc dogmata assiduè  
repetantur: hinc vituperandus non erò, si PA-  
TRONORVM iussibus obediens hocce prouerbi-  
um vberiore opera examinem.

## §. III.

Ne tamen dissentientibus aliquid affingere, nec sine sufficiente ratione ab eorum sententiis diuortium facere videar, sed potius iustis instructis rationibus asserta mea exponam, & denique demonstrum non perperam hæc a me dici; idcirco hoc modo totam causam perficiendam esse, eoque ordine me posse incedere, arbitror: ut nimirum ipsius huius brocardici, quod vocant, vulgaris sententiam exponam, quid scilicet sibi statutorum, Communis Iuris & strictæ istorum interpretationis nomine velint Icti. Deinceps operam dabo, ut genuina cum statuta interpretandi Germanica, tum strictæ interpretationis fundamenta eruam, eaque applicem ad statuta & hæc cum Iure Communi conferam. Postea dissentientium rationes limato iudicio perpendendæ venient & discutiendæ, indicato simul erroris huius communis fonte. Porro demonstrandæ erunt quædam falsæ conclusiones, quæ ex hoc principio & dictorio incongruo promanarunt, omnibus tamen familiares sunt. Tandem periculum faciam in vindicando genuino sensu textuum quorundam ex Patriæ statutis, qui alias secundum amissim triti istius sed erronei interpretandi principii considerati, in inquam sententiam solent detorqueri.

## §. IV.

Rem ipsam itaque ut aggrediar, primo loco perpendenda occurrunt in proverbio nostro statuta; quæ ut rite secundum finem præsentis instituti consideremus,

remus, non indigent, vt deductionem verbi alte repetam & vindicem, sed exploratum est, quod DN. BOEHMERVS *diss. de nat. statut. prouinc. c. II. §. I.* aduersus ANDREAM AB EXEA EX CICERONE aliisque adstruxit; statutum descendere a statuere idque denotare, decernere, destinare, constituere; itaque & sancire & præfinire innuit, ac statutum pro subiecti diuersitate, cui adiicitur, vel decretum, destinatum, præfixum, constitutum, sancitum continet, qui significatus præter citatos vel etiam ex sequentibus apparent Iureconsultis familiares. Sic statu liberorum sub conditione decreta libertas dicitur, statuta libertas *L. 15. §. 16. D. de noxalib. act. L. 81. §. penult. de legat. 1. L. 9. in fin. D. de opt. legat. L. 6. pr. D. de statu liberis & L. 1. pr. eodem*: Paulus ita explicat: Statu liber est, qui statutam & destinatum in tempus vel conditionem libertatem habet. Pari modo *L. 6. D. de in integr. restitut.* dicitur: dominis eorum dabitur, non vltra tempus statutum, in integrum restitutio, quod idem *L. 20. pr. de minor. 25. ann.* habetur & denotat, tempus constitutum, sancitum. Nec non *L. 7. C. de proxim. sacr. sc. in.* aliquoties statuti dicuntur, qui intra numerum ordinarium sunt constituti: imo *L. 17. C. de fide instrument.* legitur: adeo vt nec illud in huius modi venditionibus liceat dicere, quod pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere vel id quod emporis interest, ei perfoluere: qua iubetur, quod eiusmodi contractus emtionis qui ex conuentione non nisi scriptis perficendi sint, nullam perfectam obligationem producere debeant, antequam scriptis omnia concepta, in mundum

mundum redacta & subscriptione absoluta sint, et si pretium certum iam a partibus pro re vendenda conventionem decretum & constitutum sit. Verum mitam hæc de generaliore verbi: statuere, significatu, & potius ad ea me conferam, quæ statuta primario & absolute dicta, concernunt, ac quo significatu de statutis in iuris disciplina occurrunt notatu digna, ex quibus ante omnia Romani Iuris vsum dicendi considerare teneor, ex quo vel in reliquis Iuris partes transt, vel cum quo reliquarum legum sermones de statutis comparari solent.

## §. V.

Quapropter cum statuti acceptio hæc statuere sit, pro diversitate subiecti, de quo prædicatur, existimo, Quæ ex Romano Iure ad statuta referantur. statutum, si de legibus aut iure sermo sit, significare ius statutum, iura statuta seu constituta, sancita; inde quoque factum esse, arbitror, vt per excellentiam statutum & statuta absolute & sine subiecti adiectione sæpe dicta & vsurpata sint pro iure sancito. Hac de causa statutorum pro iuribus sancitis significatio duplex in Iure Romano eiusue scriptoribus occurrit, altera generalior, altera specialior & restrictior. Iuxta priorem significatum denotant statuta, quæcunque iura constituta seu sancita ita vt etiam constitutiones IMPERATORVM non solum comprehendant, sed etiam ipsi IMPERATORES de suis constitutionibus hoc verbum vsurpauerint: hoc modo in *L. 3. C. de sententiis ex periculo recitandis* IMPERATORES verba faciunt sequentia: Statutis generalibus iussimus, vt  
 B 3 vniuersi

vniversi iudices &c. adde *L. vnic. C. nemin. lic. sign. Saluat.* ibi ita IMPERATORES constituunt: grauis-  
 sima pena multando eo, qui contrarium statutis no-  
 stris tentauerit. At deinceps specialior significatus sta-  
 tutorum ICTis familiar & magis frequens est, inter  
 quos vsu venit ista statutorum denominatio, vt desig-  
 nent sanctiones particulares, quæ dependente qua-  
 dam a superiore & delegata vel speciali gratia concessa  
 potestate ab iis proponuntur qui maiestatem adeoque le-  
 gislatoriam potestatem per se non habent cf. DN.  
 BOEHMERI *cit. diff. c. 2. §. 2. 3. 4.* Qua de causa ICTi,  
 si secundum ius Romanum de statutis differunt, intel-  
 ligere solent leges municipales, v. CALVINI & *alia*  
*Lexica Iuridica.* Nimirum non quidem intelligunt  
 istam legem generalem municipalem, quam ICTi in  
*rubrica Tituli D. ad municipalem & de incolis* indigita-  
 tam esse existimant RAEVARDVS *Varior. III. 15. FR.*  
*DE AMAYA in L. 10. de municip.* secundum quam iura  
 & instituta municipiorum ex Romanorum concessione  
 æstimanda essent, quorsum non solum diuersas leges  
*Tit. D. ad municip. & de incolis* sed etiam reliquorum  
 titulorum, immo integram vere tractationem *Lib. 50.*  
*D.* pertinuisse, rite censuit DN. HEINECCIUS in  
*Pandect. ad hunc tit. §. 305.* quicquid CUIACIUS *L. 9.*  
*obseru. 37. in pr.* dissentiat; infirmum enim est argu-  
 mentum quod ex *L. 2. C. de veter. Iur. enucl.* ideo  
 deducit, quod hic habeatur: ad municipales:  
 namque pluralis non commodiorem rubricæ sensum  
 reddit, quam singularis numerus, & non impedit,  
 quo minus subintelligendum sit: leges municipales.  
 Verum statutorum nomine istæ appellantur leges mu-  
 nicipa-

nicipales in specie ita dictæ, quæ fuerunt propria instituta & decurionum decreta municipiorum illorum, vel in Italia vel extra eam, quorum civibus indultum erat, suis legibus & suo iure uti, & qui muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, nullis aliis necessitatibus, neque vlla populi Romani lege adstricti, ni populus eorum fundus esset, uti descripsit A. GELLIVS *Noct. Attic. Lib. 16. c. 13.* addatur FESTVS, HOTOMANNVS *coment. verbor. Iuris.* Quæ municipia in plurimis imitata sunt rempublicam Romanam, ut itaque propriis suis legibus regerentur. L. 3. D. *quod vi aut clam. L. 3. D. de sepulchr. violat.* CICERO *de Legibus III. 16.* ac uti Romæ SCta fiebant, ita instar eorum in municipiis habebantur decurionum decreta, quæ statuere ipsis permittebantur iuxta modum ab Imperatoribus præscriptum L. 1. §. 4. §. 2. §. L. *ult. de Decret. ab Ordin. faciendis.*

## §. VI.

Eodem modo Ius Canonicum statuetis aliquando generaliore legis communis cum a sæculari potestate tum ab imperio ecclesiastico & spirituali latæ significatum tribuit, quod ex plurimis textibus videre licet. præsertim autem c. 8. C. II. Q. 1. §. c. 8. X. *de Consanguinit. & affinit.* leges humanæ ingenere statutorum nomine appellantur. Quod vero leges ecclesiasticæ generales hoc nomine veniant, perspicitur exinde, quod partim conciliorum decreta utpote CABILONENSIS, CARTHAGINENSIS, TOLETANI statutorum nomine veniant per c. 106. C. 1. Q. 1. c. 36. C. 11. Q. 6.

Quid statuta  
Iure Canoni-  
co.

*Q. 6. c. 34. C. 27. Q. 2. partim ipsorum Pontificum epistolæ decretales ita dicantur secundum c. 8. distinct. 61. c. 4. distinct. 76. c. 107. C. I. Q. 1. c. 11. de rescriptis in 6to c. 1. de renunc. in 6to. Deinde pariter sæpe numero in Iure Canonico per statuta indicantur leges particulares & a delegata quadam & dependente potestate vel seculari vel ecclesiastica, nimirum synodo vel Episcopo profectæ, quorum spectant c. 8. X. de iniuriis & damn. dat. c. 1. & 2. de constitut. in 6to c. 9. de hæreticis eod. Clement. Ex graui: 1. de Vfuris.*

## §. VII.

Quid statuta  
denotent  
Germanis.

At præterea in Germanica Iurisprudencia amplius aliquid adhuc denotent statuta, & vario in sensu hoc vocabulo vtuntur leges & ICTi. Etsi enim sæpius ipsæ leges Imperii vniuersales, RECESSVS nempe, de se ipsis verbum: statuere, prædicent, ita vt æquipolleat verbo setzen: sicuti vel maxime ex RECESSV IMPERII SPIRENSI de Ao. 1570. §. 80. liquet per verba: Darum ordnen und statuiren wir item §. 81. Ferners statuiren und ordnen wir nec non §. 82. aus was billichen Ursachen, die wucherliche Contracte, in gemeinen Rechten und etlichen unseren Reichsabschieden verbotthen, ist unndthig zu erholen: Derohalben wir Cammerrichter und Beystigern befohlen haben wollen, in solchen Sachen was einmahl statuirt und verabscheidet, in kein ferneres Nachdenken zu ziehen. Nihilominus plerumque statutum angustiore significato, vario tamen, vsurpatur; nimirum subinde intelligere solent cum leges, tum etiam ICTi omnes sanctiones & ordi-



ordinationes in Imperio particulares, seu quæ vniuersalem Imperii legem non constituunt, nulla habita distinctione, siue a legislatore immediate siue mediate procedant ex eius delegatione aut consensu. Ideoque Statuum Imperii, siue sit Princeps siue Ciuitatis immediata, qui in suis territoriis legislatoria potestate pollet, constitutionibus & reliquis legibus, integris regionibus vel prouinciis datis denen Landesordnungen, statutorum nomen imponitur in RECESSV IMPERII de Anno 1654. §. benebenst sollen: *verbis*: bey Administration der heylsamem Justis, so wohl die Statuten und Gewohnheiten als die Reichsabschiede und gemeine Rechte vor Augen haben: quod item ita habetur in ORDIN. CAMERAL. Part. I. rubr. 13. n. 1. *verb.* sondern auch des Reichs gemeine Rechtsabschiede und den jetzt bewilligten und auf diesen Reichstag aufgerichteten Frieden in Religion und andern Sachen auch Handhabung des Friedens und ehrbare Ländische Ordnungen, Statuten und redliche ehrbare Gewohnheiten, der Fürstenthümer, Herrschaften und Gerichten Urtheil fassen und aussprechen: idemque totidem fere *verbis* repetitur rubr. 58. Ciuitatum Imperii immediatarum leges statuta eodem modo dici, non ex his solum simul patebit, verum etiam præter exempla Iuris Hamburgici, Wormatiensis, testimonium perhibent luculentum, Patriæ charissimæ Bremensis Ciuitatis scripta, quæ inscribuntur: *Statuta Reipubl. Bremensis primum a Dno. Henrico Krefftingio I. V. D. & quondam Consule huius Reipubl. in nouum ordinem redacta, atque glossis siue notis illustrata &c.* quod nomen etiam non tantum in diuersis textibus, sed etiam in glossis

C  
imo

imo & in sententiis, denen Ordeeln, statuta declarantibus & tacito Reipubl. consensu ex diuturno vsu statutorum valore æstimatis iisque adiectis, plus vna vice repetitur, licet hæc Patria Iura aliis quoque designentur nominibus: *Tassel und Boeck darinnen dat Stadtrecht und Bürgerliche Eintracht verfabret ic. Ordinantien und Reformationen, Verdrachte, Nieuwe Eintracht: vide Nieuwe Eintracht pr. §. 1.* Quid ergo mirum, si ICI Statuum Imperii leges has statutorum nomine appellent, quod præter supra §. 2. *citatos BESOLDO Consult. P. IV. Conf. 159. alibique SCHWEDERO iure publ. part. spec. sect. 2. c. 13. VITRIAR. iur. publ. L. 3. tit. 17.* & aliis familiare est; Id quidem libenter confiteor, melius istos egisse & agere, si aliis & magis aptis terminis eas designassent, cum hoc modo legum eiusmodi natura facile confusa sit cum statutis Romani Iuris municipalibus; vti æquiuocatio semper errores gignere solet. Deinde statuta sunt iura particularia ab iis, qui Status Imperii non sunt adeoque leges proprio iure ferre non possunt, lata ex concessione eius, qui superioritate territoriali gaudet. Quorsum non solum pertinent ista statuta ciuitatum mediatarum, quæ ex concessione superioris vel expressa, vel tacita per collatam administrationem politiæ ciuitatensis, *die Feuegassen-Ordnungen* promulgant; nec non, quæ conuentione cum ciuibus condunt. Immo & collegiorum in ciuitatibus instituta, *Zunft und Handwercksordnungen* statuta dicuntur vid. *RECESS. IMPER. de Anno 1654. §. wie nun solches ic.* Sed hæc sufficiant ad explicationem, quotuplici sensu statuta veniant; namque de quibus ex his sermo

fermo fit in brocardico, quod examinaturus sum, infra commodior occasio dicendi sese offeret.

§. VIII.

Ideoque potius perpendendum erit, quid per Ius Commune intelligatur. Nimirum ex prouerbio, quod sapius in medium proruli, apparet, Ius Commune staturis opponi; hinc facile liquet pro diuerso significato statutorum quibus ius commune opponitur varium quoque esse significatum Iuris Communis. Namque palam est ex dictis §. 1. & 2. me tantummodo sollicitum esse de interpretatione legum positiuarum in Germania vigentium, itaque hoc sensu Iuris Communis ad me non pertinere ius illud vniuerso humano generi omnibusque populis commune, & quod apud omnes gentes peræque custoditur, seu Ius Naturæ §. 1. *Instit. de Iur. Nat. Gent. & Ciu.* sed eas tantum leges, quæ sunt positiuæ in Germania & communis. Itaque si ingenere consideres, quid Iuris Communis positiui nomine indigetur, deprehendes, illud primum denotare tale ius, quod in republica quadam, in qua iura particularia vigent, instar normæ generalis obtinet apud omnes & omnibus in casibus, in quibus particularia iura non recedunt. Deinde hoc fit duplici modo: namque dicitur ius aliquod commune vel illud, quod vt regula in republica particularibus legibus vtente ita obtinet, vt hæc generalis regula primo loco attendenda sit; vel ita est generalis norma respicienda, vt tantum fit subsidiaria ad suppleendum iurium particularium defectum, quæ tamen

Quid sit Ius  
Commune,  
generalis  
consideratio.

primum locum occupant, & vt primaria regula consideranda sunt. Cum vero in Germania reipubl. respectus sit duplex, vel enim est respublica totum Imperium, vel singula territoria Statuum Imperii: idcirco Ius Commune, quod ibi vt norma generalis valet, vtroque sensu est vel totius Imperii commune, vel singulorum territoriorum, qua de re commode differuit THOMASIVS *dissert. de statuum potest. legislat. contr. Ius Comm. §. 27. 28. 29.*

## §. IX.

Specialiores  
Iuris Com-  
munis deno-  
minationes.

Si quidem hæc conferamus cum iis, quæ antea de statutis accepimus, & sedulo consideremus, quomodo statutis Ius Commune opponatur, facile varias significationis nobis reddetur perspicua. Quod si enim opponamus Ius Commune statutis Iuris Romani in sensu specialiori sumtis, (de generali significatione nulla oppositio est) seu legibus municipalibus, palam est, Ius Commune esse omnes Romanas leges quæ per totum Imperium Romanum vigorem habebant regulæ generalis, nisi municipiis ius suarum legum concessum sit. Ita quoque si secundum ius Canonicum Ius Commune cum statutis conferamus particularibus, intelligenda sunt generalia Conciliorum & Pontificum scita & decreta quæ per omnes ecclesias, quæ sedi Apostolicæ parent, legis autoritate tanquam regula vniuersalis gaudent. Ast curæ nobis primario erit Germanica Respublica; itaque videamus quid nobis sit Ius Commune. Illud autem rite fieri nequit, nisi perpensis assidue dictis §. *antecedentis*. Si ergo quæ-  
ratur

ratur de Iure Communi totius Imperii Germanici, opposito particularibus singularum rerumpublicarum legibus, quod vt regula primaria obtinet, huc referri debent Reccessus Imperii, Ordinatio Cameralis & omnes reliquæ sanctiones ab Imperatore & Statibus latae. Quod si vero sermo sit de Iure Communi per totum Imperium subsidiario; tunc certum hodie est, intelligendum esse Ius Canonicum & Romanum Iustinianicum. Confer. *cit. diss.* THOMAS. & EIVSDEM *diss. de rite formando statu controversie an. Leg. Iur. Iustin. freq. &c.* STRYK. *diss. cit. pr. alim. ad VJ. Mod. §. 28.* CONRADI SINCERI *diss. epistol. §. 77. 80. & 81. it. §. 25. & not. ibique allegatum DATTIVM de Pace publ. l. 4. c. 1. n. 17. seqq.* Attamen factum etiam est, vt pristino quodam errore per iam laudatos ICTos exploso, plurimis scriptoribus vsu veniat, vulgo & quasi in famasiore significato sub Iure Communi intelligere Ius Canonicum & Romanum Iustinianicum, quasi his iuribus primæ in Germania debeantur. Denique in singulorum Imperii territorium Iure considerando Ius Commune cuiusuis territorii, particularibus eius statutis municipalibus aliisque specialioribus institutis, vel etiam privilegiis oppositum, ius denotat, quod omnibus subditis per totum territorium, aut aliam diœcesin, vt ordinaria norma præscriptum est.

## §. X.

Porro indicare oportet, quidnam ICTi sibi velint Quid sit strictè interpretari. per verba, strictè interpretari, in proverbio, quod

C 3

exa-

examinandum est, de quo adhuc pauca erunt addenda. Quid autem interpretari significet, non opus est, vt prolixam tractationem instituam, neque in peculiari quodam significato hoc loco sumitur hoc verbum, sed potius eodem, quo tam in aliis disciplinis quam in sermone vulgari occurrit, & maxime cum de sensu verborum declarando agitur. Namque de aliorum signorum explicatione iam non sum sollicitus, qui legum interpretationem meditor, at leges non facile aliis signis, quam verbis promulgari solent. Sufficit itaque, si pro instituti mei ratione dicam, interpretari esse idem ac indicare mentem auctoris cuiusdam, quam per verba aliis declarare voluit. Attamen, stricte interpretari, quid denoret, obscurius paulo esse videtur. Sed res clara erit; si modo consideres, quidnam alias in iuris arte stricte & strictum indigitare soleat, nec non si in mentem reuocet, ICtis vsitatum esse, duplicem facere legis interpretationem, quæ ab ipsis ICtis secundum regulas artis, instituitur nimirum grammaticam & logicam, simulque caueas, ne stricte & restrictiue interpretari confundas, etsi vtrumque ad dictum illud de statutorum interpretatione pertineat. Arbitror equidem, strictam interpretationem esse eam, quæ verborum angustis & angulis literarum interclusa, & contenta est, nudam verborum significationem grammaticam eruendo, ac neglecta vera sententia, quam auctor verbis indicasse, iusto ratiocinio ex circumstantiis palam fieri potuisset, solis verbis nimis duriter inhæret, aut si verbis duplex sit significatus latior & angustior, semper angustiores præfert. Qualem ipsam NERVÆ anti-

antiqui ICi interpretationem fuisse, supra accepimus. Quamobrem ICi etiam eiusmodi interpretationem dicere solent duriolem *MODESTIN. in L. 25 D. de LL.* quod respuat iustam æquitatem & rationem legis aliasque circumstantias, ex quibus facile erui possit mens genuina auctoris. Adeoque hac interpretatione excluditur, tam extensiuam quam restrictiuam legum declaratio, etiamsi verba & ratio legis non conueniat; e contrario lex trahitur ad plures casus, quam ratio & vera legis sententia sub se continet, aut non attenduntur casus similes, qui ob rationis paritatem sub lege comprehenduntur: aiunt scilicet ii, qui stricte interpretantur, ex inique intellecta *L. I. §. 1. de his quib. ut indign.* nihil legi potest, nisi quod verbis expresse exaratum est, *SVEVIUS de verb. signif. L. II. c. 2. p. m. 179. ibique citat. ALBERIC. GENTIL.* siquidem id, quod in mente retentum est, nihil operari posse, falso sibi aliquando quidam persuadent, existimantes, legislatorem facile id ipsum potuisse exprimere si eius mentis fuisset, v. *SVEVIUM citat. deductis argumentis incongruis ex prorsus contrariis legibus 71. §. 5. D. de acquir. hered. 7. C. de condict. ob causam dat. L. vnic. §. II. in fin. de caduc. tollend.* Cæterum ad ea, quæ, de stricta interpretationis notione euoluenda, disserui, apte prorsus pertinet *L. 20. §. 2. D. de seruitut. prædior. urbanor.* in hac ita verba facit *PAVLVS*: si sublatum sit ædificium, ex quo stillicidium cadit, ut eadem specie, & qualitate reponatur; utilitas exigit, ut idem intelligatur. Nam alioquin, si quid strictius interpretetur, aliud est, quod sequenti loco ponitur. Nec non alias in legitima scientia strictum æqualem signi-

significatum habet; sic nempe strictum ius, imo & stricti iuris actiones dici, quod ad verborum praescriptum dirigitur & aestimatur, ac in quibus ad formulam praescriptam exactissime observandam adstricti erant iudices, tralatitium est. Contraria strictae interpretationi est interpretatio iusta, nec non, quae ex hac oritur, benigna. Iusta enim eadem est ac legitima & legibus conformis, his vero ea conformis est, quae vim & naturam sermonis observat, cum leges saepe multa verborum compendio comprehendant, CONNAN. *Lib. 10. c. 1. n. 3.* idcirco CELSVS *in L. 17. D. de LL.* ait: leges scire, non hoc est, verba earum tenere, sed vim ac potestatem. Si autem iusta instituat legis interpretatio, mentem potius quam verba legislatoris respiciens, benigna seu larga oritur interpretatio benignius enim leges interpretandas esse, quo voluntas earum conservetur. PAVLVS exegit *in L. 18. D. de LL.* adde CONNAN. *lib. 1. cap. 11. num. 3.* quae a CICERONE *pro Cluentio* ea de causa vocatur laxamentum legis. Quin si iusta interpretatione legem ex mente legislatoris iudices, oritur demum interpretatio restrictiva, dum advertendo ex ratione legis, mentem legislatoris non omnes comprehendere casus, qui verbis legis continentur, verba ista generaliora restringimus ad istos tantum casus, qui voluntati legislatoris congrui sunt. Vt hoc modo differant prorsus stricte & restrictivae interpretari, quippe hoc fit per iustam interpretationem, illud vero iustam declarationem respuit.



## §. XI.

Qui hæc, quæ de statutis, Iure Communi & stricta ac restrictiva interpretatione differui, cum brocardico eiusque laudatoribus conferet, deprehendet, tam late patere ambitum dixerit, ut non solum statuta particularia ista municipalia Iuris Romani in Italia aliisque Reipublicæ Romanæ provinciis olim v̄sitata, sed etiam Germaniæ nostræ leges municipales ciuitatum mediatarum & immediatarum adeoque liberarum & Principum Imperii aliorumque statuum in suis territoriis promulgatas intelligat. Econtrario Iuris Communis nomine tantum subsidiaria ista Reipublicæ Germanicæ Iura, Canonicum & Iustinianæum, Ius existimo, indigitare voluerunt effato hoc trito. Prætereaque strictè interpretandi formula tam restrictiuam quam strictam declarationem inculcare intenderunt. Hoc pacto ergo particularia statuta cuiuscunque generis simulque Germanicas Leges Statuum Imperii sub iugum peregrinarum & in subsidium tantummodo a nobis receptorum legum Iuris Iustinianei & Canonici mittere, easque ex his vnice metiri volunt, ita ut hæc sint norma & ratio illarum iuxta quam illæ omnes sint examinandæ & istarum valor æstimandus. Quem in finem non potuerunt non adstruere, statuta ita esse accipienda, ut, si iusta adhibita interpretatione ea legislatoris sententia appareat, quæ a Iuribus istis Romanis recederet, omittenda potius legitima declaratio & nudis saltem verbis inhaerendum sit, ne a Romanis legibus diuortium fiat. Multo magis autem dubio statutorum sensu, angustiolem &

Applicatio ad  
brocardicum:  
eiusque sen-  
tentia.

D

istum

istum esse præferendum, qui Latii scitis & Papparum decretis conueniens sit. Quin eo processit Doctorem superstitionis, vt statutorum omnium a Iuribus istis Communibus vel quasi discrepantium omnem benigniorem interpretationem & ex paritate rationis resultantem exploderent, sed etiam verborum, vel maxime perspicuorum, restrictiue declarationem, verbis licet in alium sensum tortis, instituendam esse, sedulo profiteantur; modo contentum fiat cum Latii dogmatibus. Hæc sunt tradita ista GAILII, MYNSINGERI, MYLERI AB EHRENBACH, CARPZOVII, DVCKII, quin & certa ex parte STRYKII & reliquorum, quorum cohortem §. 2. supra citauim. Hæc est sententia facietiarum istarum, quarum supra mentionem feci, hoc significat, quod statuta ex Iure Communi, stricte & ne lædant Ius Commune sint interpretanda, quod sint intelligenda sicuti cantant, quod sint instar mularum, eorumque verba sint improprianda, ne a Iure Communi abhorreant; non miror igitur, sed temporum istorum fatis imputandum esse censeo, quod PATRIAE STATVTORVM, BREMENSIVM, inquam, commentatores, communi illo errore abrepti sint, eidemque vulgari doctrinæ subscripserint aliquoties. Ita nimirum Vir de PATRIA olim bene meritus KREFFTINGIUS in STATVTORVM BREMENSIVM collectione in *Gloss. ad Ordeel 12. Statut. Tit. II. de Processibus §. 14. pag. 85. nec non Tit. III. de contractibus Gloss. ad §. 56. Ordeel 51. Statut. 80. p. 192. 193. porro Tit. V. de success. ab intestat. Gloss. ad §. 1. Ordeel 86. pag. 220. & eod. Tit. Gloss. ad §. 8. statut. 8. pag. 293. imo & alter*

PATRIO-

PATRIORVM STATVTORVM Glossator Vir quondam dignissimus IOHANNES ALMERVS *Notis ad Statutorum cit. §. 56. Tit. III. vid. 51. pag. 192.* axioma illud erroneum, domesticis legibus applicauerunt. Quæ quidem eum in finem non in medium protuli, vt tantorum nominatorum virorum famam lædam, sed tantum vt nos, iustioribus imbuti doctrinis, officii nostri admoneamur, quod non permittit, vt meliora videntes deteriora sequamur.

## §. XII.

Idcirco falsam hanc doctrinam relinquendam esse, supra §. 7. docui, & a communi Ictorum opinione in aduersam sententiam abeundum ac existimandum esse, statuta non esse ex Iure communi & stricte interpretanda; sed potius asserui, eorum declarationem, instar aliarum legum, secundum ordinarias regulas iustæ interpretationis instituti debere, mentemque eorum maxime, non vero sola verba esse respicienda, etiamsi exinde explicatio Iuri Communi contraria euadat. Verè enim optimescio, quod non sufficiat, dixisse: sed rationes reddere oportet, quo iure quæue iniuria aduersæ parti accedam, errorisque communia docentes arguam. Accedo itaque ad earum expositionem secundum ea quæ §. 3. pollicitus sum, accingentique ad causam ipsam discutendam videtur totius controversiæ summam consistere in hac questione, an statuta ordinario modo, sicuti leges ingenere, secundum ordinarias leges interpretandi regulas regulariter sint declaranda, an vero plerumque & regulariter stricte

Fundamentum, ex quo brocardici veritas aut falsitas diiudicanda.

& restrictiue: prius affirmari, posterius inficiari iuri. Quamobrem quidem sufficeret, si tantum destruerem dissentientium & ab ordinaria declarationis norma aberrantium rationes, cum regulam, in qua dissertationis sententia se fundat, opus non sit probare. Sed etiam affirmationem meam facili negotio ex superfluo deducere queo, remotis postea argumentis aduersæ partis. Vt illud expediam, inuestigandum est, an statuta possint & debeant, sicuti leges secundum ordinaria interpretationis fundamenta declarari, explicata simul strictæ interpretationis natura eaque ad statuta applicata, hisque iterum cum iure Communi collatis. Quoniam autem prius, nempe an statuta possint & debeant, uti alias de legibus fit, interpretationem accipere ordinariam, maximam partem dependeat ex valore ipsorum statutorum legali. Hinc facile patet, totius causæ decisionem huc redire, ut sciamus qualem vim statuta ex mente legislatoris in republica habeant. Agimus enim de ista interpretatione, quæ non tantum verba explicat grammaticè, sed primario de vi & potestate legis sollicita est; hæc vero præprimis concernit mentem, unde autem iudicabimus, an mens statuti eodem modo sit accipienda sicuti legis, nisi ex ipso valore legali statuti, de hoc tamen aliunde constare nequit, quam ex legislatoris potestate eiusque voluntate. Eius tamen semper memor sis, quæso, quod mihi tantum sermo sit, de statutis particularibus, non vero de statutis quæ ipsas Imperatorum constitutiones in Iure Romano aut Paparum decretales epistolas in Iure Canonico designant, aut de Imperii Germanici RECESSIBVS aliisque vniuersalibus legibus.

Dein.

Deinde non existimes velim, quasi adstruere coner, ac si statutum aliquod nunquam possit strictam aut restrictiuam interpretationem accipere, quod item ipsis aliis legibus sæpissime accidit: sed tantum asseuero, quod regula non possit hoc modo concipi. Sæpissime enim, sicuti in ipsis aliis legibus declarandis, contingit etiam statutis, vt talem requirant declarationem; sed id non ideo, quasi omnium statutorum natura, sed potius quod generales & ordinariæ interpretandi regulae tale quid exigant. Et si haud raro hæc fallacia non causæ vt causæ committatur, eaque peculiari iuri tribuantur, quæ recta ratio & analogia iuris suadent. Deinde idem in specialissimis quibusdam statutis, æquali valore cum reliquis destitutis, ex causis iam iam dictis occurrit; sed quis a particulari ad vniuersale argumentum struere vellet: pertinent hæc potius ad exceptiones.

## §. XIII.

Statutorum valorem legalem expendentem oportet in primis diuersas eorum species diligenter a se inuicem discernere, non vnius enim generis ea esse, supra §. 5. 6. 7. iam demonstraui; ideoque non eadem de omnibus asserere licet. Cumque *cit.* §. §. differentias eorum secundum Ius Romanum Canonicum & nostrum deduxerim, ita quidem Romanorum & Canonicorum statutorum valorem breuibus tantum commemorabo, vt pote quæ ad propositum finem non adeo faciunt. Quod itaque in sensu specialiori sumta statuta Iuris Romani attinet nimirum municipiorum, quæ supra

De Statuto-  
rum Roman.  
valore ad Ius  
Rom. com-  
mune.

§. 5. EX FESTO, GELLIO & HOTOMANNO descripsi, ex iis, quæ ibi ex modo laudatis autoribus nec non ex *L. 3. D. quod vi aut clam. L. 3. D. de sepulcr. violat.* CICERONE *de Legibus III.* deduxi, cui addere poteris eundem CICERONEM *pro BALBO XX.* quod municipia suo vsa fuerint proprio iure, nec adstricta fuerint necessitate legum Romanarum, nisi populus fundus factus sit; ex iis, inquam apparet, statuta eiusmodi municipiorum antiquioribus temporibus in illis valorem iuris ordinarii omnemque vim legis habuisse, neque Iuri Romano obnoxia aut secundum illud æstimanda fuisse, nisi populus fundus factus sit. Verum posterioribus Imperatorum temporibus, aliam omnino induerunt, tam tota Italia eiusque caput Roma, quam municipia faciem, cum omnibus æqualis obtigerit fortuna, vt ipsis, libertate pristina excussa, nil nisi parendi gloria relinqueretur; non potuit itaque non statutorum conditio valde immutari, & decretorum ab ordine decuriorum faciendorum autoritati & efficaciam plurimum detrahi. Postquam enim omne imperium totius reipublicæ Romanæ, simulque totam legislatoriam autoritatem, populo eripuerunt, sibi que vindicarunt Imperatores soli, non meliori fortuna vsa est *de Novopula* municipiorum, adeo vt ipsorum magistratibus nihil vere reliqui manserit præter iurisdictionis actus minoris momenti, & de certa quadam minore summa & quæ ad utilitatem administrationis ciuitatis pertinerent, quæ ex priuilegio ipsis obtingebant. Quam in rem PAVLI *ad Edictum L. 2. in L. 26. D. ad municipalem* & *de incolis egreium* exstat testimonium his verbis: Ea quæ magis

gis imperii sunt quam iurisdictionis, magistratus municipalis facere non potest, magistratibus municipalibus non permittitur in integrum restituere, aut bona rei seruandæ causa possidere, aut dotis seruandæ causa, vel legatorum seruandorum causa, adde *L. 1. D. decret. ab Ordin. faciend. & L. 4. eod.* PAVLVM 5. *recept. sentent. 5. §. 1. & 2. recept. sent. 16. §. 4.* GERARDT NOODT *tract. de iurisdictione & Imper. L. 1. cap. III. & Libr. II. cap. II.* MEYVIM *Iure Lubecens. Quæst. prælim. II. §. 48. seqq. item L. 1. Tit. 1. artic. II. §. 85. & 86.* HEIG. *Quæst. illustr. Part. 1. quæst. 23. num. 22. seqq.* HORN. *dissert. de confirm. statut. municip. §. 11.* Satis superque ex his constat, quam augusta fuerit municipiorum eorumque magistratuum statuendi potestas recentiori ævo, & quod nihil ipsis licuerit, quam quod ipsis concessum vel relictum fuerat singulari priuilegio; qua propter, eo tempore statuta legibus communibus reipublicæ Romanæ fuisse obnoxia & seruisse, legisque valore caruisse, extra dubitationem positum est. Cum autem hoc modo posterioris æui statuta non nisi exceptiones fuerint, aut singulari priuilegio concessa potestas; sequitur sponte, quod ea concedens generalem regulam constituendi animum non habuerit, ideoque, sicuti in aliis specialioribus constitutionibus, ita & in his extensio quidem locum non habeat, neque ad consequentias trahi possint §. 6. *L. de I. N. & G. C. L. 14. D. de LL. quæ tamen concessa essent cum effectu intelligenda fuerint. Quæ cum analogia iuris doceat, non indigent, vt ex legibus prorsus huc non pertinentibus utpote ex L. 22. D. L. 64. §. 9. D. solut. matrim. dos quemadm. L. 6. D. de condict. caus.*

*caus. dat. L. 10. D. L. 1. n. 19. D. de exercit. action. L. 21. D. de milit. test. L. 28. D. ad municip. & de incol. aliis-*  
que inuita prorsus Minerua cum glossatoribus excul-  
pamus.

## §. XIV.

Quae statuto-  
rum Iuris Ca-  
nonici vis.

Deinde Iure Canonico quidem pro expedito ha-  
betur, quod Pontificum epistolæ decretales nec non  
Conciliorum scita vim iuris vniuersalis habeant, per  
omnes ecclesias quæ Papale imperium, quod sibi ar-  
rogant Antistites Romani, summamque eorundem in  
sacris potestatem agnoscunt. Attamen nihilominus  
Pontifices summi per concessionem iuris dicecesani  
Episcopis vi officii ordinarii indulti, hisce demanda-  
runt liberiores aliquam facultatem condendi statuta  
per propriam cuiusque dicecesin confirmandique syn-  
odalia decreta, eum in modum, vt in istis dicecesi-  
bus valore iuris ordinarii gaudeant, neque Pontifex  
censeatur generalibus suis constitutionibus iis dero-  
gasse si modo rationabilia, aut nisi expresse reuocata  
sint: vt adeoque imperio Papali per illa nullum affe-  
ratur detrimentum. Audiamus ipsum Pontificem BO-  
NIFACIUM VIII. sequentem in modum constituentem  
*c. 1. de constitut. in 6to.* Licet Romanus Pontifex, qui  
iura omnia in scrinio pectoris sui censeatur habere,  
constitutionem condendo posteriorem, priorem,  
quamuis de ipsa mentionem non faciat, reuocare no-  
scatur, quia tamen locorum speciales & personarum  
consuetudines & statuta, cum sint facti & in facto  
consistant, potest probabiliter ignorare: ipsis, dum  
tamen



tamen sint rationabilia, per constitutionem a se nouiter editam, nisi expressis caueatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare. Quin decreta Pontificum a Germaniæ Episcopis pro subsidiario iure habitauisse demonstrauit BOEHMERVS in *Tractat. iur. Ecclesiast. Protestant. Lib. I. Tit. 2. §. 45. & 46.* Ast trans-eant hæc & perpendamus potius efficaciam statutorum Germaniæ.

## §. XV.

Dum his considerandis operam nauamus, ab initio animum aduertimus ad ista statuta Germanica quæ sunt sanctiones in Imperio Germanico particulares, promulgatæ ab ipsis Statibus Imperii in proprio cuiusque territorio. Quid ergo Princeps quiuis Imperii eiusdemque Status in suo territorio sanciuir, siue solus id fecerit, siue in Consilium adhibitis Ordinibus prouinciæ, pro cuiuscunque regionis indole, de qua differit HERTIVS *Diff. de Consultat. Legib. & Iudic.* siue singulis edictis, siue integro iurium complexu composito, siue denique omnibus suæ ditionis terris, siue singulis regionibus & prouinciis aliquid promulgauerit, eum in finem, vt normam generalem actionem subditis istius prouinciæ constituat, omne illud huc pertinet, die Landes seu Ländische Ordnungen, Landtags-Recesse, Kirchen-Process- und Policey-Ordnungen, Sonderfügungen, siue quodcunque aliud nomen ipsis obtigerit. Haud facile opinor, posse quempiam esse, qui nostro æuo auderet, hisce Statuum Imperii scitis & sanctionibus legis plenissimum

De valore statutorum Germaniæ & primo de ordinationibus prouinc.

E robur

robor denegare, haud existimo, sine piaculo tale  
 quid admittere quemquam; posteaquam non solum  
 Iurispublici Imperii Germanici scientia tanto lumine  
 collustrata est, vt in sole caliget, qui aliter sentiat,  
 sed praeterea quoque ipsa Imperii leges vniuersales  
 aperte id ipsum loquantur, locupletissimumque per-  
 hibeant testimonium, immo vbi ipsa rerum testimo-  
 nia in quotidiano vsu adsint, adeoque verbis non sit  
 opus. Nam ex quo alias diiudicanda vis & potestas  
 sanctionum, quam ex ipsa auctoris potestate, an ipsi  
 nempe ius legum ferendarum comperat? At id mihi  
 ex Iure publico Imperii dari, postulo, facileque con-  
 cedi credo, quod Statibus Imperii legum proprio iu-  
 re ferendarum potestas comperat, quod vel ex solis  
 publicarum legum textibus, quo supra §. 4. adduxi,  
 & adhuc post pauca considerandi iterum occurrent,  
 apertissimi iuris est. Et quid quaeso? nonne ipsum  
 ius seu superioritas territorialis, quam vocant, hanc  
 facultatem optimo iure tribuit, nonne illud territo-  
 riale ius ipsum est ius Maiestaticum, nonne autem  
 Maiestati competit facultas condendi leges, adeoque  
 Statibus Imperii quoque, qui hoc iure instructi sunt?  
 Explorata sane haec sunt, nec indigent demonstratione  
 alia, quam qua hanc quaestionem solide satis discussit  
 THOMASIVS *diff. de iniusta oppositione iurium maie-*  
*static. superior. territor. &c.* adde CAESARINVM  
 FVRSNERIVM *de suprematu cap. 9. & 10.* Pari mo-  
 do superfedere possum labore vindicandi Statibus Im-  
 perii in specie ius legum proprio iure ferendarum,  
 quoniam hoc negotium alii iam occuparunt, & rem  
 optime deduxerunt & explicarunt, quorsum lectorem  
 bene-

benetolom ablego. Sic videas ZIEGLERVM *tract. de Maieftat. lib. 1. cap. 5. n. 19.* SCHWEDERVM *Iure publ. part. special. feft. 2. cap. 13.* VITRIAR. *Iure Publ. lib. 3. tit. 17. §. 3. feqq.* HERTIVM *de superior. territor. §. 25.* & omnium accuratiffime hac de re egit. THOMASIVS *diss. de Statuum Imperii Potestat. legislat. contr. Ius Comm.* quale quid etiam docuit MYLERVS AB EHRENBACH *tract. de princip. & Statib. Imp. Rom. Germ. P. II. Cap. 39. 12.* qui simul fallus est, Statuum statuta esse instar Iuris Communis imo & ipse MASCARDVS *citat. tract. Concluf. II. §. 97.* etsi postea utrumque in applicatione principiorum ad interpretationem statutorum communis scholæ erroneam opinionem sequantur. Ego autem non video, quomodo ex his aliter quid elici possit, quam, cum hæc statuta valorem iustum legis habeant inque territoriis Principum ordinarium illud Ius Commune constituent, quod ibi primarium locum occupat & ut primaria regula consideranda est, *vid. supra §. 8. & 9.* quod necessario etiam per ordinarias leges interpretandi regulas eorum declaratio fit perficienda. Quod si itaque præterea ex ipsis appareat, legislatorem voluisse generalem normam subditis præscribere, nulla adest ratio genuina, quare nec ordinaria locum habere debeat explicatio ex legitimis desumpta fundamentis; immo contrarium asserere, absurdum esset, & contra principia iamiam monstrata impingeret.

## §. XVI.

His præmissis, facili negotio iudicabimus de effi- De statuto-  
cacia & vi legali statutorum Liberarum Ciuitatum Im- rum Ciuit.  
perii immediata-

rum libera-  
rum valore.

perii Immediatarum, qualisque ipsis vigor sit tribuendus: nimirum idem, inquam, qui competit statutis seu ordinationibus reliquorum Statuum Imperii & Principum eorumque sanctionibus, hisce etiam omnino adscribendus est scitis *benen Stadt-Rechten*, ut pari vigore ordinarii iuris præ reliquis omnibus tanquam regula ordinaria gaudeant, si modo rite iuxta normam & indolem cuiusque reipublicæ eiusmodi vel aristocraticæ per solum magistratum, vel democraticæ per communem reipublicæ sponsonem, vel mixtæ adhibitis ordinibus in consilium fuerint condita. Quidni enim eadem vi pollerent, quum tamen eadem huiusmodi ciuitatibus competat facultas, proprio iure condendi leges, eademque potestate nomothetica instructi sint, qua Imperii Principes splendent. Pari modo sunt Status Imperii Germanici, non minus sunt in coimperio cum Imperatore & reliquis Statibus, iisdem iuribus superioritatis territorialis augustæ sunt, idcirco Maiestatis radii coruscant, & per hæc omnia legum proprio ausu ferendarum potestas non poterit non ipsis asseri, neque hisce forsan ex regionum angustia aliquid decedere, fas est: INSTRUMENT. PAC. WESTPHAL. art. VIII. §. *tam in vniuersalibus* &c. A LVDEWIG *Opusc. Misc. Tom. I. Lib. I. opusc. 7. de ciuitatum dispari nexu cum S. R. I. cap. VII. n. 17. seqq. & opusc. I. de iure appellandi reges c. 1. n. 5. L. III. opusc. IV. de differ. iur. Rom. & Germ. in mutuo. differ. XIV. not. qq.* THOMAS. *cit. diff. de potest. stat. imp. legislat. contra Ius Comm. §. 1. seqq. ibique cit.* COCCEIUS, MEVIUS *Iure Lubecens. Quæst. prælim. I. §. 37. seq.* THOM. MICHAEL *de iurisd. conclus. 44.*

GAI-

GALLIVS *L. 2. obseru. 57. n. 2.* KNIPSCHILD *de ciuit. imp. L. 2. c. 10. n. 5.* Oculis ergo & mente cæcus esset, qui in hisce Ciuitatum Imperii liberarum immediatarum statutis explanandis aliis opus esse interpretandi regulis, censeret, aut ordinario legum modo ea declarare, religioni sibi duceret. Tuto iam vacare possum labore, hæc in specie applicandi ad PATRIAM EIVSQVE statuta, quæ ex generali ratiocinio per se fluunt, cum animus non sit, iamiam supprematum EIVS vindicandi per se iam exploratum; sed ad minimum nixus INSTRVM. PAC. WESTPHAL. *art. X. §. Ciuitati vero Bremensi &c.* tantum concludo, PATRIAE statuta esse leges veras, earumque modo esse interpretanda.

## §. XVII.

Neque aliam declarationem dictorum statutorum suadet Iuris Communis in Germania autoritas, quod si enim nexum statutorum, seu potius legum, de quibus iam egi, cum Iure Commune Imperii, vtriusque significatus per §. 8. 9. æqua animi lance perpendas, fateri cogeris, nullo modo legibus Germaniæ Communibus deteriora esse statuta, illisue feruire: sed illicitam semper esse Statuum Imperii vim nomotheticam, Iura Communia permittere tenentur, nihilque isti detrudere possunt, etiamsi hisce contraria constituat. Duplex Ius Commune in toto Imperio Germanico esse, supra §. 8. & 9. dixi; alterum comprehendit leges Imperii vniuersales proprias, normam ordinariam constituentes, vt pote RECESSVS, ORDINA-

Statutorum  
horum cum  
Iure Com-  
muni compa-  
ratio.

TIONEM CAMERAE IMPERIALIS aliasque: alterum Ius Commune nobis est subsidiarium illud ab exteris receptum Iustinianicum & Canonicum, quod ordinariam regulam nobis prorsus non constituit, sed tantum supplet defectum legum Germaniae. Neutro valor legum Statuum Imperii imminuitur, sed in territoriis utroque praestantiores sunt Ordinum Imperii sanctiones. Quod enim Imperii proprias leges universales, RECESSVS scilicet aliasque attinet, numne haec statutis provincialibus fortiores sint, an vero & illis in territoriis antecellant Statuum sanctiones, ingenue profiteor, neque istis statuta cedere debere, quae in subditos cuiusque reipublicae deque ipsius negotiis concepta sunt, nec statui publico Imperii detrimentum inferunt, eum in modum, ut nec RECESSVVM clausulae derogatoriae aliquid in contrarium facere possint. Ex dictis enim §§. antecedentium nulla alia conclusio elici poterit. Demonstrauimus nempe potestatem nomotheticam maiestatico iure superioritatis territorialis vsu longaeuo publicis Imperii legibus approbato Ordinibus Imperii competere. Hoc posito illa tamdiu illimitata cenferi debet, libertatisque praefuntione munitur, donec demonstretur, quod publica & fundamentali lege Imperiali legitime sit restricta. Ast ista lex nusquam apparet. Non indigent haec aliis probationibus: etsi palam quoque sit, quod potestas haec legislatoria redderetur hoc modo innanis, quae tamen pro cuiusuis reipublicae utilitate, indole & circumstantiis sanctiones attemperare debet. Accedit quod reliquorum Imperii Statuum non intersit, quo iure aliorum Ordinum subditi regantur. Et cum protesta-

testationum verbis RECESSVVM vis elidi possit, quidni factis. Cætera expendit & COCCENI idem asserentis argumentum defendit ex proposito contra MYLERVM AB EHRENBACH aliosque THOMASIVS *cit. diss. de stat. potest. legis. §. 44. sqq.* adde STRYKIVM *in V. M. Tit. de LL. Sc. & Long. consuet. §. 6. & seqq.* Inde etiam est quod in ipsis imperii summis tribunalibus iudices statuta loco primo attendere teneantur iuxta legem §. 7. recitatam.

## §. XVIII.

Expeditius est meum assertum de iure Romano & Canonico. Etsi enim hæc vulgo Communium Iurium nomine vsurpari, supra adstruxerim; nihilominus tamen horum valorem longe vincunt Ordinum Imperii leges provinciales in suis ditionibus. Nec quemquam hodie facile esse, credo, qui hoc sensu Iustinianeis legibus & Paparum decretis Communis Imperii nostri iuris nomen tribuere auderet, vt ordinariam regulam primo loco observandam in Germania efficerent: sed omnes hodie palpare possunt, qui vel prima iurisprudentiæ elementa imbiberunt, eo sensu ipsis tantum convenire Iuris Communis denominationem, vt sint Commune aliquod subsidium, defectum omnium aliarum legum Germanicarum supplens, ad eoque postea demum attendendum, quam provinciales & vniuersales Patriæ leges, earumque rationes, imo & mores vel singularum regionum vel totius Imperii deficiant, & per hoc vltimum locum occupet. Conf. DN. A LVDEWIG *Opusc. Miscell. Tom. II. lib.*

Præcipue  
cum Iure  
Communi  
subsidiario.

*lib. IV. opusc. I. different. Iur. Rom. & Germ. in Titulo Imperiali §. 1. & 14. STRYKIVS diff. prælim. ad Vj. Mod. §. 28. & reliquos a nobis §. 9. laudatos & leges Imperii ab istis allegatas.* Quomodo ergo sine contradictione asserere quis posset, leges Prouinciales Germanicas Iuri huic subsidiario seruire, illisue ex hoc limites esse positos, quos transilire nec possent nec præsumendæ sint; quis affirmaret, Latii & sedis Romanæ scita, quæ nos non nisi ex receptu & ultimo loco tantum tenent, si alia desint, Patrio Iuri valorem ordinarium legum demere posse; quis inquam, de illis tale quid proferret, quod neque Germanicis Legibus vniuersalibus tribui potest? Sequitur ergo quod neque Iura Imperii Germanica vniuersalia ordinaria, neque subsidiaria illa, ordinariam interpretationem, in legibus aliis adhibendam, statutorum Ordinum Imperii impediunt, aut aliquid singulare circa illa, in fauorem Iurium istorum Communium requirant. Nec video, quomodo vera esse possit & cum principiis, quæ ipsi tradiderunt, iuxta modo dicta cohæreat assertio STRYKII *cit. diff. prælim. §. 33. & MEVII ad Ius Lubecens. Quæst. prælim. 10. §. 32.* quod statuta in subsidium ex Iure Communi interpretanda sint.

## §. XIX.

De statutorum ciuitatum prouincialium valore.

Nunc quoque perpendendus est valor statutorum, quæ non immediate a legislatore & eo, qui in republica nomotheticam potestatem proprio iure exercet, proficiuntur, seu statutorum ciuitatum mediata.



diatarum prouincialium non ab ipso superiore immediate sancitorum. Vt autem accuratius iudicare possimus de eorum efficacia ac virtute, simulque an instar legum ordinaria & iusta interpretatione exploranda sint, oportet in memoriam reuocare *ex* §. 7. quod & horum statutorum ciuitatum mediatarum diuersa sit indoles. Sunt quædam, quæ a magistratibus fiunt ex potestate sibi a superiore delegata; nam per se, quippe qui subditi sunt, omni nomothesia prorsus destituuntur. Hæc autem potestas condendi statuta magistratibus defertur a superiore variis modis, & quidem expresse declarato in hunc finem consensu privilegioque concessio, vel quoque confirmatione sua his, quæ ciuitates sponte sancierunt, approbatis, aut largitus est imperans hanc licentiam circa ea, quæ ad administrationem iurisdictionis aut politix ciuitatensis pertinent, per hoc, quod ipse legibus ista nondum in ordinem redegerit, aut redigere potuerit commode, simulque tamen plenissimam totius administrationis politix curam magistratibus demandauerit, tunc omnino, quod finem voluerit media concessisse censendus est. *Conf. DNVS BOEHMERVS diff. de nat. statut. que in ciuitat. prouinc. condunt. Cap. I. §. 7. Cap. II. §. 6. 7. MEVIUS ad Ius Lubecens. Quæst. prælim. 2. num. 43. & 62. STRVVIUS Syntagmat. Iur. Ciuil. Exercit. II. §. 42.* Deinde alia sunt statuta municipalia ciuitatum mediatarum, quæ quidem ex privilegio quodam, a superiore impetrato aut plenissimæ administrationis politix concessione non fluunt, nec confirmatione eius corroborata sunt, sed quæ priuato ausu conuentione cum ciuibus inita instituerunt & vel Prin-

ceps scientiam rei habeat, vel ignoret. Prioris generis statutis legis virtutem tribuunt, cum ex legislatoris voluntate iusto legem constituendi modo profecta sint, vimque suam deriuent. Quapropter necessario iusta interpretatio vel extensiva vel restrictiua ipsis applicanda est pro rationis diuersitate. *cit. diff. DNI BOEHMERI & reliqui Icti citati.* Ast qualiter se habent ad Ius Commune. Hic præmonendi sumus iterum de diuerso significato Iuris Communis cum Imperii, tum territorii istius cui adscripta est ciuitas statuens. Posterius primario huc pertinet, & concernit leges prouinciales, normam ordinariam omnibus subditis constituentes. Vt itaque appareat, quomodo ad has leges statutorum vis se habeat, easque lædere possit, idque voluntati maiestatis præsumptæ non refragetur, distinguas, an statutum conceptum sit de eo, quod statuentium potestati concessum esse, apertum est, neque transierit normam priuilegii & concessionis, neque statui publico aut Principis iuribus detrimentum afferat, tunc habebit plenissimum legis robur, gaudebitque plenissima & iusta legum interpretatione. Est enim hæc delegata potestas cum effectu intelligenda. An vero statutum excedat limites concessæ aut confirmatæ potestatis, & concernat alia negotia aliter iam antea a superiore determinata, tunc quidem natura priuilegiorum quæstionem decidet, quod si enim secundum hanc & reliquas circumstantias, concessio ad alios casus non expressos non pertineat, neque statuti extensio ad istos fieri poterit. Attamen si iam excesserit modum statutum, idque principis taciturnitate permissum sit, prætereaque reliqua adsint consuetudinum

num requisita; tunc quoque eiusmodi excessus vim consuetudinis habebit per omnia, de qua vid. THOMAS. *diff. de Iure Consuet. & Observant.* Apparet ex his simul, qualis legalis virtus statutis municipalibus adscribenda intuitu Iurium Communium totius Imperii siue priorum & ordinariorum siue peregrinorum & subsidiariorum Romani & Canonici, atque num hæc lædi ab illis possint vel non possint, adeoque statutorum interpretatio præcise ita facienda sit, ne ab his Communibus Iuribus recedant. Nempe existimo, nunquam hanc regulam locum habere. Aut enim iterum conuenit statutum, per iam deducta, cum Iure Communi Prouinciali; aut non conuenit. Si prius sit; tunc ipsi eadem vis cum Iure Communi Prouinciali, ideoque idem de læsione Iuris Communis Imperii totius in utroque significato sumti, & de interpretatione dicendum, quod supra asserui de ipso Iure Prouinciali §. 15. 16. 17. 18. Quod si autem posterius sit, id est statutum huius generis ciuitatum non conueniat Iure Prouinciali; tunc vel sit iuxta tenorem concessionis & confirmationis; hoc casu iterum eadem decisio repetenda, cum pariter sit voluntas superioris: vel ab eo discrepat: & tunc quæstio partim innanis est, cum ex lege Prouinciali valor sit æstimandus, eique primæ debeantur præ Iuribus Imperii Communibus; partim vero repetenda sunt, quæ de valore consuetudinis ipsi tribuendo docui. Denique de altero genere statutorum ciuitatum municipalium, quæ nullo nituntur priuilegio & concessa a superiore statuendi potestate aut ipsius confirmatione, sed conuentione cum ciuibus inita instituta sunt, breuibus tantum moneo,

ea intuitu legum provincialium pacti virtutem tantum habere; quod si autem ad principem res perlata sit, & hic ea ita etiam contra leges fieri permiserit, nec priuatos conatus hos prohibuerit; eo casu iterum, vt consuetudinis naturam induant, nullam vero aliam vim habeant, necesse est. Non opus est vt hic repetam, quid de iure Communi Imperii dicendum sit; quoniam ex deductis iam iam per se omnia sunt certissima & apertissima.

## §. XX.

An communis sententia præsidium habeat in natura strictæ interpretationis.

Abunde satis constat ex hæcenus demonstratis de valore statutorum, cuiusuis generis contineant sanctiones, ac iurium Communium virtute, eorumque comparatione: falso niti fundamento brocardicum vulgare, & e contrario statutorum interpretationem ordinario modo esse perficiendam, superflue est deductum; adeo vt non opus quidem sit, vt aliquid amplius addam. Attamen quo eo melius constet de asserti mei veritate, paucis tantum inuestigabo, an forsitan in interpretationis præsertim strictæ & restrictiue natura præsidium aliquod communis scholæ doctrina inueniat. Iam supra explicauimus §. 10. quid sit stricta & restrictiua interpretatio, repeto igitur ex his summam totius causæ, quæ in his capitibus consistit. Aut ex verbis statuti sententia statuentis eiusque mens per se patet: tunc absurdissimum esset, interpretatione velle verba ad angustiore significatum detorquere, aut, relicta mente statuti, vocabula rodere: quod magis cauillare legemque deprauare diceretur, quam interpretari.

pretari. Imo in hoc casu interpretis officium plane cessare, ratio docet *L. 21. D. de LL. L. 91. §. 3. D. de V. O.* FRANZK. *ad Pandect. tit. de LL. n. 22. seqq.* Sed tunc omnia æstimanda sunt ex valore statuti & iuris Communis secundum normam iamiam §§. *antece-*  
*dentib.* demonstratam. Aut vero sententia statuti ita comparata est, vt non statim ex verbis mens elucescat. Et hoc casu vel verba quidem ambiguum significatum non habent, sed dubium tantum oritur circa sententiam, quæ aliunde perspicitur v. g. ex ratione legis, eaque cum verbis non adeo cohæret, & tunc iterum contra regulas iustæ interpretationis impingeretur, si sententiam statuti ex ratione & valore eius eruere, atque pro circumstantiis aut extensiuæ aut restrictiuæ declaratione explanare negligeremus; si modo excipias casus, in quibus secundum legitimæ interpretationis & analogiæ iuris regulas extensiuæ locum habere non potest declaratio. Vel denique verba statuti dubii duplicem admittunt significatum, alterum largiorem, alterum angustiorem. Tunc quidem non solum contra valorem & vim legalem statuti, sed etiam contra sententiam eius adeoque aduersus regulas logicas pari modo peccaretur, si quis sine quadam sufficiente ratione, strictiorem significationem, relicta sententia statuentis, præferre nec genuinam mentem eruere vellet solida declaratione: iterum hoc esset cauillatio non interpretatio; Itaque & in hoc casu ex vsu, substrata materia, circumstantiis & ratione statuti eiusque virtute elicere teneris, quis significatus præferendus sit, quantumque verba valeant. Tantum abest, vt dictarium vulgare, quod statuta strictè sint interpretanda,

ne lædant Ius Commune, quodam, aut Iurisprudentiæ, aut rectæ rationis fundamento nitatur. In alia omnia potius eundem, nullamque nisi iustam interpretationem admittendam esse, prolixa demonstraui oratione. Ideoque non potuerunt non aliquoties ipsi vulgaris huius prouerbii propagatores & defensores, veritatis lumen sentire, sed sæpe contra suam hypothesin concedunt & docent, quod non solum iuste sed etiam extensiuè, late, ex ratione, alioque legitimo modo declarari debeant statuta. vid. BESOLDVM *Consult. Part. IV. Conf. 159. §. 22. ad 32. 35. 45. & 67. 68.* ALDERAN. MASCARDVM *de Interpret. Stat. Concl. II. §. 85. 86. 112. 176. 183. 185. 186.*

## §. XXI.

Genuina media interpretandi statuta.

Ideoque sensu verborum statutis antiquioris cuiusdam dubio, præter generales logicas regulas operam nauare debemus, vt, sicuti in aliis legibus priscis explicandis antiquitatum studium apprime vtile est, ita quoque in statutis antiquioribus Germanicis antiquitatum Germaniæ subsidio & legum ipsarum priscarum auxilio significationem perspicuam reddamus vid. HERTIVS *cit. diss. de consult. LL. & Indic. in special. rebus publ.* MEVIUS *Iure Lubec. Quæst. prælim. 10. §. 27.* Deinde ex eadem causâ fontes statutorum adhibendi, vtpote statuta antiquiora, ex quibus composita sunt recentiora, & in antiquioribus statutis imprimis Ius Saxonicum, Suevicum, Lubecense, Weichbildicum & alia, ex quibus partim reliquarum regionum leges prouinciales & municipales antiquiores natæ sunt,

sunt, aut quæ partim imitatæ sunt. STRYK. *V. M. diff. prælim. §. 13.* MEVIUS *cit. loc.* ALDER. MASCARDVS *cit. conclus. II. §. 103. & Conclus. XI. §. 16. seqq.* Quod etiam tunc præcipue conducet in recentioribus statutis, si hæc mores antiquos contineant, iique tantum ex parte noua sanctione mutati sint, tunc ex iis quoque declarari debent; & quicquid ista ex patriis moribus & peregrinis iuribus mixtum complectuntur, ex vtrisque explanari poterit. Quapropter porro vicinæ leges & mores ex eadem ratione affundere possunt statutis dubiis lucem. MASCARDVS *cit. Conclus. II. n. 123. 125.* CRAVET. *Conf. us. n. 3. & 4.* MENOCH. *Conf. 9. n. 22. lib. I.* Quorsumquoad PATRIÆ STATVTA referendum esse puto non solum ius Lubecense, sed etiam Saxonicum, quo magis hoc ipsi Iuri Lubecensi facem in explicando admouet. COTHMANN *Consil. 40. n. 52.* MEVIUS *cit. quest. X. §. 30. 31.* Certissima sane est regula, quod statuta ex se ipsis, id est ex contextu & ordine verborum non solum, sed etiam ex aliis textibus parallelis præsertim iis, in quibus materiæ principalis sedes est, nec non ex iis quæ antecedunt & quæ sequuntur intelligi possint, COTHMANN *Vol. 4. Conf. 20. n. 21.* quam interpretationem isti, quæ, secundum communem doctrinam, ex Iure Communi fieri debet, præfert. CARDIN. TVSCH: *L. 7. Commun. concl. 573. n. 63. seq.* Dum vero maxime quoque de ratione statuti solliciti esse debemus in interpretando, vt secundum eam explicatio perficienda sit; de ea sæpissime nobis constare potest ex præfatione statuti, per quam de intentione, fine & occasione statuti certi aliquando reddimur.

MAS-

MASCARD. *Conclusion II. §. 176.* Maxime autem requiritur, vt accuratam cognitionem status reipublicæ habeamus, in qua statutum conditum est, inque eius indolem & rationem vt sedulo inquiramus, & ex ea diiudicemus sanctiones, ante omnia opus est, MEVIVS *Q. I. §. 56. 57.* Præsertim cum ita accipi statutum non possit, vt reipublicæ eiusque statui publico detrimentum inferat. Hisce etiam accedunt aliæ adhuc regulæ, quæ non adeo spernendæ sunt, quibus legislatoris aut statuentis voluntas & sanctionum istarum sententia erui potest: ita exempli causa non adeo absolum est, quod ius aut statutum recentius generale ius seu statutum antiquum; specialius tollere, in dubio non sit censendum, sed posterius per prius exceptionem patiat; cum nihil noui sit, quod leges priores ad posteriores, & hæ ad istas trahantur. *L. 26. 27. 28. D. de LL.* Multo minus itaque possumus adstruere, quod statuta antiquiora Iuris Romani subsidiaria receptione vel antiqua declaratoria iuri Romano sint subdita, aut ex eo interpretanda. Ex quo illud etiam certum est, quod tale statutum, quod priuilegium continet, extensiuè interpretandum haud sit. Verum hæ regulæ pleræque sunt generales quamcunque legem interpretandi normæ, quæ ad statuta non vnice accommodatæ sed potius ex principiis logicis & iuris nexu deriuatæ sunt, & ad alias leges tuto applicari possunt. Nihil amplius addo pro demonstranda veritate thesisi propositæ, quod statuta secundum ordinarias regulas declarari debeant, non vero regulariter strictè & ne lædant Ius Commune; perspicue enim satis ex dictis apparet, non sine ratione dictærium a  
me



me esse oppugnatum. Accedo potius ad reliquas dis-  
sertationis partes.

§. XXII.

Namque secundum finem & ordinem, quem mi-  
hi supra proposui, nunc quoque examinanda sunt ar-  
gumenta dissentientium, quibus proverbum tritum,  
contra quod in superioribus disserui, demonstrare  
operam nauant; ex quibus simul de causis & origine  
incongrui huius brocardici constabit. Pauci quidem  
huius afferri rationes afferre student, sed plerique de-  
fensores istius sibi satis consultum esse, officioque suo  
abunde satisfacisse existimant, quod prouocent ad  
communem opinionem; imo inquirunt, est ista opinio  
omnium communissima; vsque dum omnes denique  
ad glossæ vtriusque Iuris auctoritatem confugiant.  
Sed cum hac ignobili turba res mihi non est, cum ho-  
die vix quisquam sit, qui eiusmodi officii fidem  
præstet. Quid itaque pro sententia sua confirmanda  
in medium proferunt, qualia sunt quæ nobis obmo-  
vent? nihil sane, nisi farrago incongruarum conclu-  
sionum per argumenta a BALDO, BAROLO, &  
glossa ex legibus ipsius Iuris Romani deductarum, ta-  
le quid tamen prorsus non continentibus. Confu-  
giunt præter leges, quarum §. 13. mentionem feci,  
ad argumenta deducta ex *l. 12. D. de Inst. & Iur. L. 3.*  
*§. 6. D. de negot. L. 71. §. 5. D. de acquir. hæred. L. 1. C.*  
*de Summ. Trinitat. authent. quas actiones C. de SS. ec-*  
*cles. L. 5. C. de LL. L. 13. C. de liberis præterit. L. fin. C.*  
*de Iure delib.* Frustra describerem ipsa verba harum  
legum

Remotio ra-  
tionum dis-  
sentientium,  
& erroris  
causa.

legum eaque explicando tempus inutili & superfluo labore tererem; cum vel earum satis perspicuarum sola inspectio aperte doceat, quod ne vnicum verbum communem & contrariam erroneam opinionem contineat, nec solido quodam argumentandi nexu ex scitis aut rationibus ipsarum legum deriuari possit aduersa sententia. Paucis itaque tantum moneo, quod nostrates dubium & incertum per æque incertum aut falsum plane, immo idem per idem probare studeant, dum ad peregrinos exteri Iuris commentatores & ipsos peregrini Iuris Romani textus prouocent, pro Iuris Romani auctoritate præ patriis legibus demonstranda. Redolent hæc prisca fabulas & errorem ac iuris publici ignorantiam, quibus animi Ictorum occupati sibi persuadebant, Imperium Germanicum idem esse illud a CAESARE & AVGVSTO fundatum, & quod IUSTINIANVS tenuit, ideoque Ius Iustinianicum ordinarii iuris regulam apud nos constituere, primumque ei deberi locum, reliqua omnia esse instar priuilegiorum & exceptionum a iure ordinario declinantium; nec legis valorem ipsis tribuere conati sunt. Sed idem est, quod negatur, adeoque, si etiam nullis argumentis certaremus, prius aliunde probandum esset; quod tamen impossibile: quin supra non tantum late aliud luculenter docui, sed alii, quod antestatus sum, ex instituto tenebras has discusserunt, vt hodie quemcunque pudeat, vel ista adhuc recoquere, vel non confiteri Iuris Romani & Canonici vsum in Germania tantum esse subsidiarium, vltimumque ipsis deberi locum, quod IPSOS Germaniæ IMPERATORES in legibus Germanicis agnoscere, indicat ORDIN. IVD. IMP.

IMP. AVL. *Tit. I. §.* und wenn verbis und in Mangel derselben, RECESSVS IMPERII de anno 1654. §. benebenst sollen 105. verbis so wohl die Statuta und Gewohnheiten. Pudeat ergo etiam ineptarum doctrinarum ex erroribus his deriuatarum. Præterea, si ipsas citatas leges, in quibus vulgaris opinio præsidii aliquid inuenire, sibi persuadet, euoluas, perspicue deprehendes, sanas declarandi & mentem eruendi regulas ac exempla, quæ stricto verborum aucupio prorsus aduersantur, ibi potius tradi; tantum abest, vt vulgaris error ex iis exculpi possit. Nihil istæ leges exhibent, quam forsân, quod in causis priuilegiarum argumentum a paritate rationis non sit facile admittendum, quod vnus vel alterius edicti prætorii, quod contra iuris ordinarii normam propositum erat, extensio, quæ tamen contra rationem edicti impingebat, reiiciatur: aut denique leges istæ sunt tales, quæ ius antiquum immutant, & ea iterum ex iure antiquo, quæ non correxerunt, in pristino valore esse, iubent. Hinc argumentantur statuta esse instar edictorum prætoriorum & decurionum in municipiis decretorum strictè interpretanda, aiunt, statuta esse specialia, atqui specialia non esse multiplicanda, duo specialia non posse concurrere circa idem, nec debere trahi ad consequentias CACHERAN. *decis. 59. n. 13.* REGNER. SIXTIN. I. *Conf. Marp. 14. num. 39.* PANORM. *ad cap. ult. de sponsal.* Ita docent, statuta esse correctoria Iuris Communis, at, correctoria esse odiosa, adeoque non extendenda, sed restringenda. Verum quis non sentit? quam inepta & Maiestati Ordinum Imperii iniuriosa sit comparatio legum ab Ipsis latarum Eorumque

rumque superioritatis cum edictis & potestate magistratum Romanorum Reipublicæ prorsus subditorum; quin magistratus nostri civitatum mediarum cum decurionibus municipiorum posterioris seculi inconcinna sit collatio. Quam aperte falsum est? statuta esse exceptiones a Iure Communi, Romano & Canonico, & privilegiorum consideratione a Iuribus istis specialia exceptaque continentium æstimanda. Quantum distat a vero? quod omne id, quod Ius antiquum corrigit, odiosum & restringendum sit, quam iners est doctrina de fauorabili & odioso? quomodo sine pudoris suffusione defendi potest? statuta per se corrigere Ius Commune & Canonicum. Quam certum est econtrario? quod leges regulas interpretationis tradentes non sint leges. Promanarunt hæ doctrinæ ex falsa hypothese, quod iura ista sint primaria regula in Germania, quod absolute sint recepta, iisque in omnibus tamdiu standum, donec abrogatio expressa doceatur; quibus adhuc hodie quorundam Ictorum scholæ resonant. Hæ sunt istæ reliquiæ & partes neglecti studii iuris tum publici Germanici & ignorantia status reipublicæ Germanicæ. Hunc fetum produxit nimius amor Iurium peregrinorum & falsa persuasio, esse Romanos cordatissimos mortalium &, qui inde natus est, rusticus pudor, sine lege Iuris Romani loquendi. Hi sunt euentus neglectarum legum patriarum, vel certe confusionis earum cum Iuribus peregrinis, qua occæcati Icti operam nauarunt, ineptis comparationibus nostrarum rerum cum negotiis & institutis Romanorum, iura maxime differentia in consonantiam cogere. De quo A LVDEWIG *Opusc. Miscell. Tom.*

*Tom. II. Lib. IV. opusc. I. de Titul. Imperial. §. 1. not. 66.*  
 CONRAD. SINGER. *diss. epist. cit. §. 51. 52. seqq.* THO-  
 MASIVS *diss. de statuum Imperii potestate legislatoria*  
*contra ius commune §. 77.* MEVIUS *Iur. Lubecens.*  
*Quæst. prælim. I. §. 57.* Sufficere hæc possunt, pro  
 modo speciminis academici, ad demonstrandam bro-  
 cardici, quod sæpius commemoravi, falsitatem ac in-  
 sufficientiam & sterilitatem rationum aduersa inculcan-  
 tium, erroris causas summatim euoluendas; pro-  
 lixiorem enim tractationem præsens institutum non pa-  
 titur. Ideoque mitto hac vice reliqua, quæ vel pro  
 ampliore asserti mei deductione vel aduersæ opinionis  
 destructione in medium proferri possent; & propo-  
 potius, ut quæ hæctenus dicta sunt, ad vsus Patrii iu-  
 ris conuertam; ad quod ut accedam, antea adhuc re-  
 stat, ut communes quasdam falsas conclusiones, quæ  
 ex hoc axiomate nunc destructo promanarunt, indi-  
 cem, deque istis euitandis admoneam.

## §. XXIII.

Pertinent ad eiusmodi inepta dogmata, quæ ex principio erroneo brocardici vulgaris deriuant com-  
 munitè, præcipue ista, nam omnia adducendi hoc loco non conuenit. Primo docent, quod statutum  
 contra Ius Commune quando possit vnum vel duo  
 operari, ita debeat interpretari, ut vnum tantum ope-  
 retur. ROLAND. *Consil. 47. n. 19. vol. 3.* GRATIAN.  
*discept. forens. cap. 476. m. 1. & cap. 479. n. 39.* BESOLD.  
*Consultat. Part. II. Cons. 68. n. 34.* Quis non videt?  
 quod hæc doctrina sit scetus regulæ istius, quæ tam iu-  
 stam

Quædam fal-  
 se conclusio-  
 nes ex bro-  
 cardico.

stam quam extensiuam in specie interpretationem excludit in statutis & in latiore verborum significato, neglecta mente vera statuti, tantum arripit strictiorem & angustiore, sine ratione sufficiente. Exulet itaque potius hæc thesis ex iuris arte, cuius principium explosum est. Ex eodem fonte secundo redundat eiusdemque valoris est sententia, quod statuta sint ita interpretanda vt reducantur ad terminos Iuris Communis, etiamsi verba sint improprianda. Pariter tertium dicitur aperte falsum est, quod statuta sint late interpretanda, quando nos reducant ad obseruantiam Iuris Communis SCHEFFER *l. q. 1. n. 12.* MASCARD. *de interpret. stat. Conclus. II. n. 62.* GOZADINVS *Consil. 35. n. 13.* Ideoque quarto vult communis turba, quod statuta limitationes & restrictiones Iuris Communis accipiant. Quæ omnia vt hodie cessent, optima ratio suadet, dum enim fundamentum corrui, collabi etiam debent ea, quæ superstructa sunt, cadat itaque quinta ex istis nata thesis, quod statuta possint retrahi ad casus præteritos, & ita intelligenda sint si magis Ius Commune, Romanum scilicet, confirmet quam infirmet. Pariter incongruum est, sextum vulgare assertum, quod MASCARD. *cit. tract. conclus. 4. §. 22.* tradit, quod statutum disponens de causis pendentes, non pertineat ad pendentes per appellationem. Nec melioris virtutis est dicitur, quod apud eundem MASCARDVM habetur *Conclus. II. §. 88. 89. & sepius alibi*, quod, si statutum disponat, quod statuto deficiente ad Ius Commune recurri debeat, tunc sit intelligendum Ius Commune Romanum non statutum ciuitatis dominantis. Imo doctrina vulgaris octava,

va, quam ex communibus Ictorum scriptis MEVIUS ad Ius Lubecens. Quæst. prælim. 9. §. 32. 33. repetiit, eandem meretur censuram; quod nimirum statutum nunquam in dubio præsumendum sit correctorium, quoniam correctio omnis odiosa sit. Ipse MEVIUS aliqua ex parte sensisse videtur, quod hoc prouerbum veritate aut iusta ratione destitutum sit; hinc statim tot subnectit limitationes, quæ ipsam regulam prorsus absorbent. Alia huius generis inconcinna dogmata notauit iam CONRADVS SINCERVS cit. diss. epistoliz §. 60. & 61. Neque raro occurrunt plura eius farinae confectaria in plurimorum magnæ alias autoritatis Ictorum scriptis, quæ, si principia genuina rite calleas, facili negotio aduertere & cauere poteris. Ego mihi videor officium, quod in præsentiarum mihi delatum est, expleuisse, quod celebriores errores qui communi sermone circumferuntur indicauerim; restant enim quædam harum pristini erroris reliquiarum, quæ in PATRIORVM STATVTORVM glossas irreperunt, adhuc perquirenda.

## §. XXIV.

Dum ea quæ hætenus dixi, ad PATRIA IVRA, Specialis ratio statutorum Bremensium. STATVTA nempe BREMENSIA applicare meditor, non quidem speciatim, vt repetam quascunque rationes & dubiorum remotiones, quas hætenus latius expendi, opus est; sed præter ista quæ iam iam incidenter de LEGIBVS PATRIIS expresse monui, quicunque facile ex principiis nostris interpretationem PATRIARVM LEGVM secundum ordinariam declarandi

randi methodum faciendam esse, facillime erit iudicaturus; neque eorum explanationem ex Romanis legibus faciendam esse, nec regulam, quod Ius Romanum lædere non debeant locum habere posse, videbit. Vnicum tamen adhuc addo tantum; nimirum tantum minus vulgaris doctrina STATVTIS BREMENSIBVS congrua est, quanto diutius hæc ante Ius Romanum publica auctoritate in Germania receptum condita sunt. Cum itaque Iuris Romani vsus post publicam receptionem tantum sit subsidiarius, cumque legum anteriorum correctionem ipsi communia docentes a posterioribus non præsumere audeant, id sane a Iure Romano, post STATVTA PATRIA condita in subsidium tantum recepto, eo magis asseri debet. Sunt autem STATVTA BREMENSIA primo conscripta Senatus Populique Bremensis iussu & auctoritate electis quibusdam Iuris huius conditoribus sub initio Seculi XIV, anno nimirum 1303. sicuti apparet ex *Chronico Mscto Bremensi*, in quo hæc habentur: Anno 1303, des Donnerstages nach St. Andreas do wurde de Rathmanne tho Rahde mit der Gemeende, dat se wolten ohr Recht beschrievē, als men dat tho ewigen Dagen holden scholte. Deinde iterum Seculo XV, anno 1433, Statuta sunt renouata & condita inscriptis vt patet ex statuto II. §. I. his verbis: In Nahmen des Babers des Sohues und des hill. Geestes Amen, do nah Gades Geburt waren vergahn dusend verhundert, und in dem dree und druttigsten Jahre, des negsten Dages nah St Bartholomei des hill. Apostels do wurde de Rathmanne mit der Witheit und Vollbort der gangen Meenbeit tho Bremen des tho Rahde dat se wolten ohr Recht beschrievē



ſchriben in alle der Wiſe alle hier nah beſchreven ſteit,  
 alle dat ewiglicken ſchle blicben, tho holdende alle glic,  
 den Armen alle den Ricken ic. Vbi notandum, humani  
 quid in historia patria paſſum eſſe Virum Conſularem &  
 patriarum legum Gloſſatorem HENRICVM KREFF-  
 TINGIVM, quando ad hoc ſtatutum II. addit, quod  
 hoc anno 1433. ſtatuta hæc non ſint de nouo condita,  
 ſed quod plurima ex parte iam vſu & conſuetudine in-  
 valuerint, & hoc anno primitus ad meliorem vſum ſint  
 in ſcriptis redacta. Cum ex chronici Bremeniſis ſupra  
 allegato loco & antiquis exemplaribus conſtet, quod  
 iam anno 1303. fuerint conſcripta, quod etiam recte  
 contra KREFFTINGIVM monuit DN. IOHANNES  
 ALMERVS Senatorii Ordinis dum viueret, *in notis*  
*Mſctis ad cit. ſtatut.* Sunt itaque condita & iterato con-  
 ſcripta STATVTA PATRIA eo tempore, quo Ius  
 Romanum in Germania publica auctoritate nondum  
 fuit receptum, quod demum ſub Imperatore Maximi-  
 liano anno 1495. factum eſſe, omnes conſitentur.  
 Quomodo itaque poſſunt PATRIA IVRA interpreta-  
 tionem recipere ex iure tunc ignoto aut minimum non  
 recepto, cum ſtatuta fuerint condita. Non dicam, quo-  
 modo fieri poſſit, vt ex eo reſtrictionem accipiant.  
 Nonne IVS PATRIVM quod ordinariam regulam con-  
 ſtituit hoc ipſo mira metamorphoſi in ſubſidiarium mu-  
 tatur, & Ius Romanum ſubſidiarium, contra rationem,  
 ordinariorum legum naturam induit. Inverſo fane or-  
 dine inceditur. Id enim regula eſſe debet, quod PA-  
 TRIVM IVS conſtituit & Ius Romanum quatenus non  
 mere Romanum tantum ſupplet iſtius defectum, vel ſi,  
 forſan in quodam negotio obtineat, exceptionis inſtar

H

a re.

a regula ordinaria PATRII IURIS considerandum est. Sane ipsum Romanum Ius hac rerum facie ita applicandum est, ut minime lædat statuta tanquam Ius ordinarium. Plura non addo; sed si hæc coniungas cum reliquis argumentis per totam dissertationem sese extendentibus, asserti mei veritas satis tibi reddetur luculenta.

## §. XXV.

Interpretationis strictæ exemplum primum ex Iure Patrio.

Idcirco tantum quædam exempla ex Patriis legibus in medium proferam eiusmodi textuum, qui ex communi errore in glossa KREFFTINGII ad amussim vulgaris istius brocardici sunt definiti & explicati: maxime cum eundem errorem sedulo postea adhuc commendauerit PAVLVVS KOCH I. V. D. & *Aduocatus in Patria, in Specimine collationis differentiarum Iuris Romani, in præf.* Monstrabo itaque secundum saniores hæctenus expositas doctrinas, vim istam textibus hisce non esse inferendam, & in iniquos sensus leges istas plane non esse detorquendas. Primum itaque exemplum hoc sit, quod rem clariorem reddet. Exploratum est, quod apud nos vigeat & vsu maxime frequentetur inter coniuges communio bonorum plenaria, quam vocant das *Samt-Guth*. Huius effectus est, quod si sine liberis alter coniugum moriatur, superstes ei succedat *Ordeel 86. §. Wo wor twe thosammen ic.* verba sunt: *Wo wor twe thosamende kâmet in echtschuy, wat de hebbet dat is oehrer beyden, nah Stades Recht, steyvet dyren een, de andere schall sine Schulden gelden (i. e. bezahlen) des he bekennt, darinen vullenkâhmen mag.* Hæc communio bonorum & inde profluens successio coniu-

coniugum plane non potest declarari aut interpretari ex iuribus societatis vniuersalis Iuris Romani neque late neque stricte; sed propriis suis iuribus constat, cum originem suam habeat ex iure Saxonico seu potius Germanico antiquiori vide *Sächsisch Landrecht L. I. art. 31. Mann und Weib haben kein getheiltes Guth.* Et si hic vellemus iura societatis vniuersalis ex Iure Romano applicare; quot difficultatibus premeremur? Primo hoc statutum pertinet ad sponsum & sponsam viduum vel viduam, qui Iure Romano post consensum conjugalem pro coniugibus habentur, sed non æque IVRE PATRIO ac Saxonico imo ex antiquiore iure Germanico Communi, ex quibus iuribus ad matrimonium hos effectus requiritur concensio thalami & matrimonium concubitu consumatum v. *Diss. DN. A RHE- DEN I. V. D. et PATRIAE SENATORIS PATRONI PLVRIMO CVLTV VENERANDI de virgine vidua eiusque iuribus.* Iure Romano societas omnis etiam vniuersorum bonorum morte tollitur, nullosque effectus post se relinquit. IVRE PATRIO communitio bonorum mortuo marito durat inter viduam eiusque liberos; Iure Romano societas omnium bonorum tollitur morte, quia mors omnia iura tollit ergo & societates, imo & successiones: IVRE PATRIO iura societatis manent, & quod valde a Iure Romano alienum est, tribuit successionem, non in dimidiam bonorum societatis vniuersalis sed in omnia bona, & plenariam, si nulli liberi adsint, alias portionem virilem pro numero liberorum. Ius Romanum etiam non defert successionem defuncti socii ad superstitem socium; in Iure Romano natura societatis est, quod uti inuitus nemo socius fit,

ita nec inuitus maneat, & quod possit inuito quoque altero a societate recedere. Quis hæc applicaret ad iura societatis inter coniuges? Socius omnium bonorum ex principiis Iuris Romani potest testari de dimidia omnium bonorum, sine vilo præiudicio iuris alterius socii. Sed IVRE PATRIO VXOR non potest de dimidia bonorum disponere & testamentum condere, etsi sit socia omnium bonorum, sed tantum de tribus partibus optimi vestitus sui cum omnibus accessoriis, vti ea gestare solita fuit, exceptis gemmis, iudicium post mortem obseruandum legemque rebus suis dicere potest. *Statut. 13.* Et contra maritus de dimidia bonorum omnium testamentum condere potest KREFFTINGIUS ad *Statut. 10. princip.* vt alia taceamus. In allegato *Statuto 13.* dicitur: *Hest ene Frou een Mann und werd se sieck, se maect geuen dreer Stücke von dhren besten Kleedern wenn dat se will ic.* hoc statutum, dicunt quidam, stricte esse interpretandum, & vt quam minimum lædat Ius Romanum. Vnde ille error nascitur, quod quidam hoc restringant ad solam donationem inter viuos vel ad summum ad donationem mortis causa, non vero de testamentis illud intelligendum esse, existimant, dicentes: quod alias lædatur Ius Romanum quod non admittit testamentum de parte bonorum, multo minus igitur de rebus singularibus: Iure Romano enim neminem potuisse mori pro parte testatum & pro parte intestatum, res est notissima, & talia habita fuisse, ac si illarum rerum sit naturalis inter se pugna. Iam autem si statutum allegatum latissime vel iuste velis interpretari & extendere ad testamentum, tunc accidet, quod vxor, habitura sit in tribus vestimentis hæredem ex testamento, & in reliquis bonis maritum

tum hæredem ab intestato: vt valere debeat itaque testamentum de rebus particularibus tantum, non esse ferendum, existimant. Rectius autem amplissimam vel potius iustam admittimus explicationem huius textus, & intelligimus statutum tam de donatione inter viuos, ita tamen vt præstatio differatur in tempus mortis vxoris, ne viua exuatur vestimentis suis, quam de omnibus vltimis voluntatibus scil. de testamentis & mortis causa donationibus. *Adde dissert. DNI DOCTORIS ET PROFESSORIS KLVGKIST sub præsidio DNI ARHEDENIAMIAM laudati habita de restricta disponendi facultate vxorum Bremensium.* Namque statuente has Iuris Romani subtilitates, imo maiores nostri cum ignarissimis sciuerunt Romani Iuris scrupulosam in testamentis diligentiam. Prætereaque cessat in nostra Republica superioris arbitrium legislatoris istarum Romanarum solennitatum auctoris, quod possit voluntatem magistratus inferioris restringere. Sunt enim statuta nostra sanctiones liberæ ciuitatis, quæ ius ordinarium faciunt; indeque respuunt talem restrictionem. Proinde omnia quæ ex frequentia diuortiorum Iure Romano fluunt ad Ius Germanicum planè non quadrant, sicuti variis exemplis deduxit DN. PRAESES in *Prælect. ad Cod.*

## §. XXVI.

Porro Iure Patrio Dominus excluditur contra rationem Iuris Romani a rei vindicatione, si rem alteri titulo quoque dominium non translatiuo concesserit isque eam alienauerit, & tenetur dominus tantum actione personali conuenire istum, cui rem concessit; quod & iure Lubecensi cautum est *Part. III. Tit. II. art. I.*

H 3

&amp;

Exemplum  
secundum.

& quidem ex veteri IVRE SAXON. L. I. art. 60. secundum notum principium; *Hand muß Hand wahren.* Hoc restringunt quidem ad solum commodatum, vt PAVLVVS KOCH in *cit. specim. collation. Iur. Rom. & Patrii*, voce *commodatum*, idque negant in pignore procedere, ne nimium lædatur hoc statuto Ius Romanum, quod dat rei vindicationem contra quemcunque possessorem. Quoniam vero eadem & in pignore subest ratio quæ in commodato, *daß einer seinen Glauben wieder suchen soll, wo er ihn gelassen*, imo primaria ratio, quæ reuera consistit in conseruanda fide in commerciis, de qua Germani admodum fuerunt solliciti, circa pignus multo magis locum habeat; ideo & idem statutum de pignore intelligendum esse existimo. Cui accedit, quod Ius Saxonicum, ex quo statutum diu ante receptionem Iuris Romani desumptum est, addat: *oder verſeget.* Ex his ergo rationibus statutum iuste adeoque extensius interpretandum est, vt quoque spectet ad pignus, cum prorsus eadem ratio in eo locum habeat, vt itaque necessario etiam eadem legis dispositio attendi debeat. Hinc si quis rem alicui pignori dederit, creditor vero illam in alium alienauerit denegatur domino rei vindicatio contra tertium possessorem, & contentus esse tenetur personali actione pignoratitia nimirum directa contra creditorem, cui pignus dederat. Ex analogia Iuris Germanici idem dicendum foret de deposito, ob paritatem rationis. Sed DOMINVS KREFFTINGIVS præiudicium affert in contrarium. Attamen merito dubitatur, quod vnica sententia rationi præsertim legum contraria IVS PATRIVM aliquod efficere possit. Minimum non curamus

ramus in patria KREFFTINGII autoritatem; sed legibus & rationibus regimur. Ratio vero, quam affert, quoque nititur nostro brocardico, quod in statutis exorbitantibus non debeamus procedere ad similia, nisi respectu habito ad Ius Romanum. Sed illud statuentibus incognitum fuisse, ad nauseam dixi, & ex paritate rationis iustam statutorum declarationem esse faciendam.

## §. XXVII.

Ex eodem proverbio erroneo dubium redundat, <sup>Tertium exemplum.</sup> num duplicitas vinculi attendatur IVRE PATRIO ultra fratres & sorores eorumque filios & filias, cum Iure Romano ultra hos non duplicitas vinculi, sed solum proximitas gradus attendatur, & proximiores succedant in capita, idque in infinitum, quamdiu cognatio probari potest. *Nouell. us. c. 3. in fin. authent. post fratres C. de legitim. hered.* Vnde patruus defuncti e.g. unilateralis & germanus de Iure Ciuili concurrunt, quod præiudicio firmatur apud STRYK. *in success. ab intestat. dissert. 3. cap. I. §. 16.* & auunculus vterinus excludit a successione auunculi germani liberos, quod itidem præiudicio probat STRYKIVS *cit. loc.* Dicunt itaque casum in statuto non expressam esse decidendum ex Iure Romano. Huc venit *Statut. 18.* *So welck Mann of de Froue, de unse Börger syn, sterfft sinder Kinder, sinder Bröder, sinder Suster, de nechste Mage von jewelcken Ende beyde von vader und moderlicher Geburt und licker Mageschup schölen dat gut dehesen.* Primo dubium occurrit, quod si defunctus reliquerit a linea paterna & materna & æquales gradu & duplicitate vinculi gaudentes, sed inæquales

numero collaterales, an hæreditas defuncti diuidenda sit ex numero personarum æqualiter, an vero in duas medietates, vt dimidiam capiat ille vel illi, qui sunt ex linea materna? vt hæreditas diuidatur pro numero personarum & non in duas medietates, late probauit sub præsidio EXCELLENTISSIMI DNI A RHEDEN DOMINVS IOH. SCHÖN I. V. D. ET PROFESSOR in patrio Gymnasio in *dissert. de different. Iur. Statut. Bremens. & Iur. Rom. circa successionem ab intestato* §. 20. *& sequent.* quo nos remittimus quæstionem. Hoc saltem hic monemus, in hanc rem ex stare contrarium responsum oder eine Belehrung facultat. iurid. Marburg. ad STATVT. BREMENS. 136. de anno 1616, d. 5. Maji, vbi respondent: Daß die Erbschafft in zwey gleiche Theile zu theilen, und denn eine Halbscheid seinem des Verstorbenen vom Vater her nächst anverwanten Bluts-Freunde dem Patrueli und den andern Halbtheil seinen von Mutter her, von beyden Verwandten nächsten Bluts-Freunden denen Consobrinis zu folgen, der Auunculus aber, als welcher dem Verstorbenen von einem Band her verwandt, davon allerdinges auszuschließen sey. Rationem decidendi erroneam attulerunt, scilicet maiores nostros in condendo hoc statuto ante oculos habuisse, vt superstitas statuti enitetur, & illi effectus operandi aliquid derur præter Ius Commune. Indequè male intulerunt, verba statuti non solum constituere duas lineas seu coniunctiones, sed & verba Beyde vom Vater und Moder ordines duos successionis constituere contra verba: in gleiche Theile vertheilen & contra verba jewelcken Syde. Quæ verba ad ipsam successionem sunt referenda, quod



quod debeant duplicitate vinculi gaudere, non vero cum Marpurgensibus ad constituendas portiones in successione & eius diuisiones. Non potuerunt enim maiores nostri Ius Romanum ante oculos habuisse & solliciti esse, vt quid statuerent illi vel conforme vel contrarium. Rectius ergo Marpurgenses statuto interpretationem dedissent ex Iure Saxonico IVRE PATRIO nostro antiquiore, & ex quo multa capita Iuris Nostri sunt deprompta, ibi vero obrinet successio in capita, non in lineas vid. STRYKIVM *de success. ab intest. Diff. III. c. 3. §. 16.* Secundo dubium mouetur, num vltra fratrum filios duplicitas vinculi attendatur, an vero sola proximitas gradus? Qui hoc statuunt, confugiunt ad brocardicum de stricta interpretatione statutorum, ne laedant Ius Romanum. Marpurgenses in allegato responso excludunt auunculum defuncti ab vno latere iunctum, & praefereunt consobrinos defuncti ab vtroque latere iunctos, ex ratione quod duplicitas vinculi in statuto supponatur. Neutra sententia bene se habet, prior refellitur ex ipsa brocardici refutatione, & quod in statuto mentio fiat duplici- tatis vinculi. Posterior in eo fallit, quod indistincte in statuto requirat vinculi duplicitatem, non attento gradu proximitatis. Cum tamen tota res sit deciden- da ex antiquo Iure Saxonico. Fatentur quoque idem ipsi quidem Marpurgenses in responso: *Das weilen die Stadt Bremen auf Sächsischen Grund und Boden im heil. Röm. Reich gelegen, sich auch des Säch- sischen Rechts gebrauchte ic.* sed in eo falluntur, quod addunt, Saxonicum Ius a Iure Communi nihil habere diuersum, siquidem in Iure Saxonico antiquo indubi- tati

tati iuris est, collaterales duplicitate vinculi gaudentes, quidem contra Ius Civile præferri illis, quæc defituuntur, si pares gradu inter se sint: & habemus ita verba statuti: *Beide vom Väter*, Sed si ab vno latere iunctus *Halbe Geburth* gradu vno propior sit defuncti collateralibus vno gradu remotioribus, vti in facti specie Marpurgenſium; neque Iure Saxonico neque PATRIO, vt pote quod illud sequitur, ille ab his excluditur, vti minus recte voluere Icti Marpurgenſes in responſo allegato, qui patruelem vno latere iunctum plane excluſerunt. Quamuis enim bene reſponderint, non eſſe præferendum conſobriniſ, vt ſolus veniret ad hæreditatem; non tamen hic fuiſſet excluſendus, ſed ſimul vocandus. Ius Saxonicum enim pro norma & regula ponit, quod vno latere iunctus ſemper vno gradu remotior habeatur, quam vtroque latere iunctus, iuxta vulgatum illud, *Halbe Geburth trit einen Grad weiter*. Hoc facto, par gradu & ordine eſt patruelis cum conſobriniſ, ergo ſimul admittendus. Et eo ſenſu iuris Saxonici accipienda ſunt verba ſtatuta: *Gleicher Geburth und gleicher Mageschafft*. Vnde errarunt Marpurgenſes, dum addiderunt, *mun aber ſtehet der Auunculus mit dem Verſtorbenen und mit denen Conſobriniſ nicht in gleicher Geburth noch gleicher Mageschafft, ſondern ſie ſind in dem ungleich, daß der Auunculus des verſtorbenen Mutter Halb Bruder die Sobrini aber der verſtorbenen Mutter vorbertig Schweſter Kinder geweſen: cum omnes ſint æquales in ſenſu Iuris Saxonici antiqui de quo BERLICH Part. III. Concluſ. 21. n. 47. CARPZOV Part. III. Conſt. 18. def. 8. n. 6. & def. 21. n. 8. vbi illa regula*

die

die Halbe Geburth tritt einen Grad weiter, etiam obtinet in remotioribus collateralibus seu post fratrum filios. Iuvat verba iuris Saxonici hic allegare; in *Lib. I. art. 3. Specul. Saxonici* dicitur: Ist aber einige Zweigung unter ihnen, so mögen sie in einem Glied nicht stehen, sondern schreiten fort bis in ein ander Glied: vbi glossa antiqua daher ist, daß man saget, daß der halbe Bruder halb Erb nehme und schreite in ein ander Glied. Item in *lib. 2. art. 20.* Bruder und Schwester nehmen ihrer ungezweiten (id est, vtroque latere ianctorum) Bruder und Schwester Erbe vor den Brüdern und Schwestern, die mit ihnen gezweiten sind. Vom Vater und Mutter ungezweiten Bruder Kinder seyn auch gleich nahe den gezweyten Brüdern in Erbe zu nehmen: vbi glossa sub *Lit. d.* Ius autem Saxonicum in *Lib. I. art. 3.* scilicet die halbe Geburth tritt einen Grad weiter, ita sumitur de consuetudine, vt extendatur ad quoscunque vteriores agnatos: & huiusmodi extensio seruatur etiam in praxi.

## §. XXVIII.

Occurrit mihi adhuc alius casus dubius in mentem, qui etiam ex communione omnium bonorum inter coniuges vigente dependet. Quippe dixi antea etiam citra vllam conuentionem per *Ordeel 86. §. 1.* communionem omnium bonorum das sammet Guth inter coniuges in Patria fieri ex obseruantia. Vi huius superstes coniux tenetur, pro defuncto omne æs alienum soluere, nisi pactis dotalibus aliud conuentum sit. Non desunt Doctores, qui in illis locis, vbi hæc communitio obtinet, vxori superstiti concedunt facultatem,

Exemplum  
quartum.

vt possit renunciare hæreditati & successioni statutariæ, hoc effectu, vt ita possit illata sua & dotem saluam habere, neque teneatur respondere creditoribus mariti defuncti, dum eius hæres non sit facta. Intelligunt itaque hoc axioma Iuris Germanici, quod vxor pro marito teneatur, restrictiue, ne nimium lædat Ius Romanum, cuius regula, ne vxor pro marito teneatur. *L. 1. 2. 3. C. ne vxor.* Indeque volunt intelligendum esse axioma Iuris Germanici salua vxoris electione dotis & facultate renunciandi hæreditati; quod hæc sit conueniens Iuri Romano, secundum quod vxor possit soluto matrimonio dotem & reliqua illata repetere, & successioni delata renunciare: ita sentiunt SCHEPLITZ *ad Consuet. March. Part. III. Tit. 4. Quæst. 3.* KOHLIVS *ad Constit. March. Quæst. 5. n. 1.* qui expresse hanc rationem affert, quod hic casus in constitutione ommissus decidendus sit ex Iure Romano, quod optionem cui hæreditas deferretur, concedit, pro lubitu illam adeundi aut repudiandi. Sed vix cum ratione aut analogia Iuris Germanici; cum principia communionis bonorum inter coniuges constituent Ius Commune Germanicum, maxime Saxonicum *Land-Recht lib. 1. art. 31.* indeque non sint strictè interpretanda ex Iure Romano, quod electionem concedit, & cui, ob diuortiorum frequentiam, illa communio prorsus contraria est, *v. iam citat. praelection. in Codicem DOMINI PRAESIDIS.* Maxime cum Ius Romanum apud nos longe serius inualuerit quam visitata bonorum communio. Semel itaque apud nos bona mariti & vxoris confusa sunt per communionem, quæ a consensione thalami incipit, per verba: *So wor tve thosamen komet in Echtschup, wat de hebet dat is oehrer*

rer beyde nah Stades Recht: vnde apud Saxones inferiores prouerbium: *Wann die Decke beschlagen, ist alles gemein.* Ergo non admittunt amplius diuisionem, neque facultatem concedunt, repetendi illata quæ semel facta sunt communia, & in vnum patrimonium cum defuncti patrimonio conflata: vnde & *Sammt-Guth* appellatur. Et nil nisi meram contradictionem sapit, bona omnia esse communia & tamen habere vxorem illata propria: hæc potius iam continentur bonis illis communibus. Ne dicam, hoc maxime tendere in præiudicium creditorum, qui ius quæsitum habent in communia bona per coniugium inuicem iam communicata & confusa, quod ipsis inuitis facta superstitis electionis auferri nequit: maxime cum communio eiusque electio non incipiat a morte mariti, sed a die consummati matrimonii; hæc vero semel electa, cesset variatio. Cesset igitur etiam omne ius abstinendi ab hæreditate & repetendi illata semel communicata: sicuti pariter nec inuentarii beneficium superstiti coniugi concedendum esse, arbitror, quod ex Iuris Romani principiis competit hæredi debitoris, effectu eo, quasi superstes coniux posset dimidiam bonorum partem mariti creditoribus cedere, vt ipsis, quantum fieri possit, satisfiat, alteram autem dimidiam tanquam propriam retinere possit. Optime se habent, quæ circa priorem quæstionem glossator Vir Consularis *KREFFTINGVS AD STATVTA BREMENSIA ad dictum Ordeel 86. §. 1.* hæc affert, & præiudiciis firmat, digna, quæ integra exscribantur: *Es ist in Sachen der sämtlichen Creditoren Eysler Goldschmidts contra Eysler Goldschmidts Witwen und in Sachen der Creditoren weyl.*

Verends zum Böhne contra dessen Witwe und in andern Fällen mehr weitläufig disputiret worden, daß die Fran thren eingebrachten Braut-Schatz nicht widerum zu sich nehmen und von des Mannes Güthern separiren, und wie sie thres Mannes Erbschaft und Güthern sich entäußert und also dessen Erbe nicht worden, sie auch also den dessen Schulden vermöge unseres Stadt-Buches des Mannes und Frauen Guth, so sie zusammen bringet, confundiret und daraus ein Guth geworden, und also nicht simpliciter ratione hæreditatis, sondern vielmehr ratione necessariæ communionis & confusionis honorum der eine des andern Schuld bezahlen müsse. Interim vxor vidua bona communia poreit cedere creditoribus & abdicare: cuius effectus est, quod ita liberetur ab onere æris alieni a marito contracti ratione illorum, quæ deinceps iure hæreditario aut alio iusto titulo ad illam peruenerunt; prout quoque dispositum & *Iure Hamburgensi Part. II. Tit. 5. Tit. 10.* Apud nos Bremenses in hac causa singularis ritus mentio sit in glossis *ad dictum Ordeel*: si nempe coniux superstes statim post elatum funus, mariti sui ædes derelinquat & domum mortuariam prætereat ab exequiis reuerfa, aut elato e domo mariti defuncti cadauere, vidua ædes deserat, & præuia denunciatione claues domui infixas omniaque bona creditoribus relinquat.

## §. XXIX.

Exemplum  
quintum.

Vltimum locum casuum ab erroneo brocardico vindicandorum occupet iterum alius, qui etiam circa communionem honorum inter coniuges occurrit. Namque ex principio isto erroneo LAVTERBACHIVS *Dissert.*

*Dissert. de ære alieno in soc. coni. contr. §. 12.* argumentatur: communionem bonorum inter coniuges incipere statim a tempore contracti matrimonii, ita ut quam primum fiat coram sacerdote desponsatio, conjugali consensu ius in corpus ad usum matrimonii sibi inuicem communicauerint, & hoc ipso communicatio statutaria incipiat: quia ubi nihil statuto reperitur in contrarium, secundum Ius Civile Romanum fit iudicandum, ex quo consensus non concubitus facit nuptias. Cum tamen secundum Iuris Germanici principia effectus matrimonii demum a consensione thalami sint repetendi, uti latius deduxit EXCELLENTISSIMVS DOMINVS A RHEDEN *cit. diss. de virgine vidua & in Ordeel cit.* adhibeantur verba: *So wo twe thosamen femet in echtschap*, quæ in effectu & sensu Iuris Germanici secundum §§. *anteced.* dicta non vero Romani Iuris tunc incogniti sunt accipienda.

## §. XXX.

Satis & abunde me demonstrauiſſe exiſtimo non solum ex principiis Iuris eiusque analogia, ne minimo fundamento niti doctrinam omnium sermone frequentatam, quod statuta stricte & ex Iure Communi sint interpretanda: sed etiam clarissimis exemplis ante oculos posui, quam incongrua hæc dogmata sint Iuribus Germanicis, & quod potius tota ista regula inuertenda sit. Plura itaque non addo, ne dissertationis Academicæ modum transiliam. Et contentus sum, quod periculum saltem fecerim hoc specimine in Patrio Iure liberando tam a præiudiciis auctoritatis legum Latii, quam ab aliis impedimentis, quæ istius dignitati tenebras offundere

funderere possunt, imo & magna ex parte integro Iuri Germanico insigniter fraudi iamiam fuerunt. Simulque ex his patet, quam valde opus sit, vt ex diuerticulo, iurium peregrinorum & præiudiciorum maiorum nec non ineptarum communium opinionum in viam & ad legitimos tramites solidæ doctrinæ in iuris arte revertamur, & tali imbuamur iurisprudencia, quæ iustis suis nititur rationibus, inque ipsis rerum argumentis obtinere potest. Exulent itaque non solum istæ ineptiæ, quarum falsitatem his paginis patefeci, sed & reliquæ omnes quæ restant conclusiones incongruæ ex principiis falsis, quæ iam reliquimus. Econtrario ageantur in dies Patrii Iuris incrementa, Legum Germanicarum solida dogmata, atque ab erroribus cum theoreticorum tum pragmaticorum pristina restituantur dignitati. Moueat in hoc negotio, quicumque possit, lapidem; sic tandem Summi Numinis auxilio eueniet, vt in foris tot tantisque tricis carere possimus.

T A N T V M.









Halle, Diss., 1731 A-G

ULB Halle

3

005 356 652







LXXIII  
24

IOANNIS TOBIAE CARRACH, ICTI  
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS  
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS  
PROFESSORIS IVRIS PRIMARII  
FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDIS  
ORDINARII ETC.

DISSERTATIO  
QVA  
EXAMINATVR  
BROCARDICVM VVLGARE:  
STATVTA  
EX  
IVRE COMMVNI  
ESSE  
INTERPRETANDA.

1731 7c  
11



---

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITTERIS FRIDERICI AVGVSTI GRVNERTI  
RECUSA ANNO c1730cclxviii

